Polem.
4°
1695
Fiche



Fiche

Clebitius

4° Poem.

1695

Digitized by Google

Collegij Societatis JESV Monachij.

VICTORIA VERITATIS, AC RVINA PATRONATVS SAXONICI.

RESPONSIO VVILHELMI KLEBITII NECESSARIA ad Argumenta Doct. Tilemanni Heshusij.

PRO DEFENSIONE IVSTA

I.
Causæ Christianæ, & Veræ.

II.
Illustrissimi Electoris Palatini,

III.
Philippi Melanthonis.

IIII.
Senatus Ecclasiastici.

ROMAN. XII.
NVLLI MALVM PRO MALO REDDATIS.

FRIBVRGI
DANIEL DELENVS
Excudebat, Anno
M. D. LXI.

Digitized by Google

PRVDENTIA, PIETATE, NEC NON
Eruditione singulari præditis, Illustriss. Electo-
ris Palatini Consiliarijs Ecclesiasticis,
Dominis suis dignè semper
obseruandis S. P. D.

VVILHELMVS KLEBITIVS.

ORNATISSIMI DOMINI, HESHVsius priora scripta Melanthonis legens, in sua non parum confirmatus fuit opinione: Ego vicissim posteriora scripta Melanthonis diligenter examinans, plurimùm quoq; in Christiana hac corroboratus fui doctrina. Vestri quoque Concionatores, cùm Heshusio subscriberent, & me nihilominùs rectiùs sentire apertè dicerent, vtrique profectò, tam mihi q̃ Heshusio, arma subministrarunt. Heshusius à Melanthone Theologiæ Doctor creatus est: A vobis ego similiter Theologiæ Baccalaureus pronũciatus sum. Heshusius testimonium mihi perhibet, & idem sentiam, quod vos sentitis: &, vt scitis, propter hunc in vera doctrina consensum, cum misera coniuge & quatuor liberis, vltra integri anni spacium in exilio sum. Apostolus inquit: Si quis habeat bona mundi huius, & videns fratrem suum penuriam pati, ipsi non opem ferat, quomodo dilectio manet in ipso? Quum autem vos Domini mei dignè colendi, per meum cũ Heshusio arduum prælium, honores & potestatem diuinam sitis assecuti, & non ignoretis me hîc in Babylone inter hostes veritatis, nõ sine vitæ discrimine periclitari, etiam atq; etiam rogo, ne in Apologia vestra duriùs me tractetis, q̃ capitalis meus me tractauit hostis: Is enim simul me accusat & absoluit. Pro collato à vobis mihi beneficio, breuem hanc Apologiam vobis dedicare volui: Quam vt boni consulatis rogo. Heshusij scriptum seriùs accepi. Si plura argumenta refutari necesse erit, & neruos & tela mihi superesse speretis. Rumor hîc ab antagonistis sparsus fuit, vos post meum abitum à M. quodam Stosselio superatos & confusos esse: officij igitur mei esse duxi, vobis argumentis firmissimis opem ferre. Nam eæ sunt exilij & professionis molestiæ, vt nullum è vobis, eas experiri optem. Heshusius sanè quosdam vestrum è nido pellere nititur, egrè ferens, & vt Pontifex vobis diutius imperare non potuerit. Veritatem [illegible] censere & tueri in hac Apologia statui: vobis adulari nõ decreui. Omnia vobis condonanti condonate. Deo vos commendo.

Datæ in Babylone 14. Maij, Anno 61. Vestræ
Dignitatis deditissimus VVilh. Klebitius.

Bayerische Staatsbibliothek München

Digitized by Google

ARGVMENTVM
PRIMVM HESHVSII.

MElanthon aliter explicat vocem Koinonias, q̃ Lutherus: Ergò Explicatio Melanthonis est hæretica. Resp. Nego Consequentiam. Nónne Melanthon maiorem habuit linguæ Græcæ cognitionem, q̃ Lutherus? Nónne Martino Luthero hac in causa opponere possum Martinum Micronium? Nónne Luthero suamiplius translationem hanc Germanicam obijcere possum: Das brodt, das vvir brechen, jst das nicht die gemeynschafft des leybes Christi? Vocabulum Gemeynschafft, nónne potiùs participationem, quàm distributionem significat? Quare Ioachimmus Magdeburgius contra Lutherum transtulit: Das brodt, das vvir brechen, jst das nicht die auffteylung des leybes Christi? Nónne Papistæ vobis doctiores, nobiscum exponunt per participationis vocabulum? An non Paulus Eberus Pastor Ecclesiæ VVittenbergensis, in suo ad Augustum iudicio, participationem transfert, eaque suauissima appellatione semper vtitur? Nónne (teipso teste) Apostolus vocem Koinonias exponit per subsequens verbum metechein? An non Metechein Participare significat? Nónne duo hæc, Participare & Distribuere, contrariæ significationis verba sunt? Nónne ipse Nazianzenus Koinonias vocem per Metalepsin exponit? An non Bucerus & Pistorius eodem modo transferunt? Vbi quæso Theophilactus Koinonian per Metadosin exponit? ☞ Tu Heshusi facis multos distribuentes: Dicis corpus Christi distribui à Pane: dicis corpus Christi distribui à Ministro: & dicis corpus Christi distribui à Christo. Facias quæso multos dignè participantes, vnus Christus sufficiet omnibus distribuere. ☞ Quare Heshusi non inquiris, quid sit Koinonia corporis Christi? Potest ne aliquis seruari sine koinonia corporis Christi? Ioan. 6. Nónne fidelium infantes, in vtero matris vel ante Baptismũ mortui, habent koinonian corporis Christi? Infantes item per Baptismũ Ecclesiæ insiti, nónne habent koinonian corporis Christi? 1. Cor. 10. Ioannes Baptista deniq; cùm captus in vinculis detineretur, nónne habuit koinonian corporis Christi? Christiani prætereà hisce temporibus in carcere detenti, vel exules in Babylone degentes, & externa Synaxi spoliati, nónne habent koinonian corporis Christi? Nónne Lutherus fatetur esse eandem rem in prædicatione Euangelij, quæ in Synaxi?

Nónne Patrēs ante incarnatum Christum, habuērunt koinōnian corporis Christi? Quid igitur intelligemus per Koinonian corporis Christi? nunquid participationem oſsium & venarum corporis Chriſti? Ergò patres & alij non habuerunt koinonian corporis Christi? Quid quæſo igitur aliud eſt participem fieri corporis Chriſti, q̄ edere carnem Christi in cap. Ioannis. 6? Dum quiſpiam vera fide totum paſsionis Ieſu Chriſti meritum, eiusq̄ obedientiam apprehendit, & dum ex viuifica Chriſti carne ſalutarem virtutem & vitam æternam haurit, nónne iſte habet koinonian corporis Chriſti? ☞ Quum nos ex abſente Chriſti corpore verè habeamus tantum, quantum vos ex corpore Chriſti præſente habere putatis, in quo nobis eſtis beatiores? ☞ Cùm fide in cœlum conſcendimus, nónne corpori Chriſti ſumus propiores, quàm vos, qui iſtud in pane quęritis? ☞ Conſideras etiam Heſhuſi, cur Panis Euchariſtiæ vocetur Koinonia corporis Chriſti? Nunquid ideò panis Chriſti corpus nuncupatur, & corpus Chriſti ſit In pane? nunquid ideò, quòd corpus Chriſti ſit Sub pane? nunquid ideò, quòd corpus Chriſti ſit circumcirca panem? nunquid ideó, quòd panis ſit eſſentiale corpus Chriſti? Nónne hæ rationes ſunt diuerſæ? nónne ſibi contrariæ? nónne à Melanthone ſunt exploſæ? ☞ Quare igitur panis vocatur koinonia corporis Chriſti? Nónne Circunciſio vocatur ideò Fœdus, quia eſt ſigillum fœderis? Quare Baptiſmus aquæ vocatur Lauacrum regenerationis? nónne, quia ſigillum eſt, quo fideles certificantur, quòd ſanguine Chriſti ſint loti à peccatis? Quare annulus ſponſæ datus vocatur fides? nónne quia ſigillum eſt fidei ſibi à ſponſo datę? Quare igitur Panis vocetur Koinonia corporis Chriſti, nónne hæ duæ potiſsimum rationes ſunt? Prima, quòd hoc Pane, tanq̄ ſigillo, fideles certificentur, quòd habeant koinonian corporis Chriſti? Secunda: Quòd fideles hunc Panem ore comedentes, etiam fide manducent carnem Chriſti, & bibant fide eum ſanguinem, qui lanceam tinxit, qua Chriſti corpus vulneratum eſt? Nónne grauiter inquit Eberus, quòd propter certitudinem huius participationis, Chriſtus panem corpus ſuum nuncuparit? Nónne Melanthon bene explicat, quid non ſit Koinonia corporis Chriſti? Quid his opponere poteris Heshuſi?

SECVNDVM.

PAulus. 1. Corinth. 10. non inquit, Panis eſt koinonia corporis Chriſti credenti: Sicuti Roman. 1. inquit, Euangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti: Ergò male exponunt

ponunt verba Pauli, qui panem docent esse medium, per quod detur Christi corpus. RESPONSIO.

Expositio hæc à me non est allata: Fratres tui ea vtuntur in suffragijs VVestphali. Non possum satis mirari: Hactenus corpus Christi oportuit esse In pane, Sub pane, Cum pane: Iam corpus Christi oportet transire Per panem. Heshusius tamen hunc transitum non vult permittere: si enim permitteret, seipsum confoderet, & Bremensium Essentialem definitionem destrueret. Pueri igitur sic colligunt, Theologi Saxoniæ docent, quòd panis sit medium, per quod detur Christi corpus: & Theologi Saxoniæ docent Panem esse ipsum Essentiale corpus Christi: Ergò Theologi Saxoniæ sibijpsis sunt contrarij. Ipsi Papistæ Theologos hos rident.

TERTIVM.

HEshusij Confessio de Synaxi consentit cum Canone Niceno, Ergò Confessio Heshusij est catholica.

RESPONSIO.

Nego Antecedens. 1. Canon Nicenus prohibet, ne humiliter propolito pani attendamus: Heshusius iubet corpus Christi in pane quærere. 2. Canon Nicenus iubet, vt fide mentem axaltemus: Heshusius ab infidelibus graculis asserit Christi carnem manducari. 3. Canon Nicenus docet, In ILLA cœlesti mensa nobis venerabile Christi corpus propóni: Heshusius in HOC lapideo altari contendit Christi corpus reperiri. 4. Canon Ninus Panem & Vinum vocat nostræ resurrectionis Symbola: Heshusius Panem & Vinum docet esse res signatas. Quid igitur minùs consentit cum Confessione Heshusij, quàm Canon Nicenus? Et iam vicissim gratias tibi ago Heshusi, quòd authoritatem huius Canonis laudibus extollas. Papistæ canunt, Surſum corda: Heshusius canit, Vorborgen jm brodt so kleyn: nónne Papistæ igitur saniores Heshusio?

QVARTVM.

REgula illa (Panis extra vsum non habet rationem Sacramenti) tantùm de sumptione debet intelligi: Ergò Fides & Meditatio debent excludi. RESPONSIO.

Nego Antecedens. Fides, Meditatio & Sumptio debent coniungi: Nam sumptio sine fide & meditatione, noxia est, & facit nos reos corporis & sanguinis Christi. 1. Corinth. 11. Ipsi saniores Papistæ fatentur Fidem & Meditationem à Sumptione nõ oportere separari: nónne igitur & hîc Papistæ meliores Heshusio?

THeodoretus & Augustinus expresè inquiunt, quòd Iudas manducarit corpus Christi: Ergò Theodoretus & Augustinus aduersantur Pagellæ. RESPONSIO.

Iudas sumpsit Buccellam intinctam ANTE fractionem panis, Matth.26.& Marci 14. Accepta buccella intincta, Sathan intrauit in Iudam, & Iudas statim exiuit, Ioan.13. Quia igitur Iudas subitò exiuit, concludo, quòd cum reliquis ad fractionem panis vsque non manserit. ☞ Euangelistæ tres, Matthæus 26. Marcus 14. & Ioannes 13. expresè dicunt, quòd Iudas acceperit buccellam intinctam: Sed nullus Euangelista expresè inquit, quòd Iudas acceperit Panem fractum gratiarum actionis. Panis quoque fractus gratiarum actionis, non fuit intinctus. ☞ Lotio pedum facta est ANTE festum: Ioannis 13. Synaxis verò celebrata est primo die festi, Lucæ 22. ☞ Præterea ipsi Papistæ concedunt, quòd Agnum Paschatis manducarit Christus ANTE fractionem panis. Lucas Euangelista cap.22. narrat, & Christus verba hæc (Vnus ex vobis me prodituras est) locutus sit POST fractionem: Verùm Matthæus & Marcus docent, & verba hæc dixerit Christus ANTE fractionem panis. Igitur duobus testibus plus fidei adhiberi debet, q̃ vni. Lucas quoq; Synaxi non interfuit, sicuti Matthæus. Præter alios doctos viros, etiam Papista Rupertus Abbas Tuitiensis sentit, & Iudas Synaxi non interfuerit. Christus inquit (Ioan. 6.) Qui edit carnem meam, is habet vitam æternam, Si Iudas manducauit Christi carnem, quo modo igitur descendit ad inferos? Docti quidam putant, & Iudam proditorem Christus ideò occultè soli Ioanni monstrarit, ne videlicet Iudas discerperetur à reliquis Apostolis. Ioannis 13.

Augustinum & Theodoretum expono per seipsos: Nam vtrique docent, Signo nomen rei signatæ tribui. ☞ Augustino Augustinum oppono, qui alibi inquit: Iudas manducauit panem Domini contra Dominum, reliqui manducarunt Panem Dominum. Idem alibi inquit: Iudas non reuera, sed Sacramentotenus Christi carnem manducauit. Hoc contra te etiam recipiunt saniores Papistæ ☞ Quare Iudam tam libenter habetis in Synaxi? estis ne fratres Iudæ? nónne Iudas multos fratres habet in Synaxi? Quare hos non vel emendatis, vel excluditis?

SEXTVM.

INfideles etiam edunt carnem Christi: Ergò Pagella Melanthonis est hæretica, Resp. Nego Antecedens: Idq; propter sequen-

Digitized by Google

ſequentia Argumenta. 1. Qui non eſt capax Noui Teſtamenti, non eſt capax Sanguinis Chriſti: Impij non ſunt capaces Noui fœderis: Ergo Impij non ſunt capaces Sanguinis Chriſti. 2. Miſericordia Dei ſola Fide accipitur. Cõmunio carnis Chriſti, eſt opus Diuinæ miſericordiæ: Ergò Cõmunio carnis Chriſti non niſi fide accipitur. 3. Inter Chriſtum & Belial nulla eſt communio. Impij ſunt filij Belial: Ergò impij non edunt carnem Chriſti.

4. Quicunque edunt carnem Chriſti, in illis habitat Spiritus Sanctus. In impijs non habitat Spiritus Sanctus: Ergò infideles non bibunt ſanguinem Chriſti. 5. Nemo poteſt ſimul bibere calicem Dæmoniorum, & ſanguinem Chriſti. Impij bibunt calicem Dæmoniorum: Ergò impij non bibunt ſanguinem Chriſti.

6. Quicunque fiunt rei corporis Chriſti, non fiunt participes corporis Chriſti. Impij fiunt rei corporis Chriſti: Ergò impij non fiunt participes corporis Chriſti. 7. Quicunque fit particeps corporis Chriſti, ille fit vnum corpus cum Fidelibus. Impij non fiunt vnum corpus cum Fidelibus: Ergò Impij non fiunt participes corporis Ieſu Chriſti. 8. Mortui non edunt. Impij ſunt mortui in peccatis ſuis: Ergo impii non edunt carnem Chriſti. 9. Nemo poteſt ſimul communicare Menſæ Diabolorum, & ſimul edere carnem Chriſti. Impii communicant Menſæ Diabolorum: Ergò impii non edunt carnem Chriſti. 10. Quicunque edit indignè de Pane Euchariſtiæ, non accedit ſecundum inſtitutionem Chriſti ad Synaxin. Infideles non edunt dignè de Pane Euchariſtiæ: Ergò Infideles non accedunt ſecundum inſtitutionem Chriſti ad Synaxin. 11. Qui non communicat ſecundum inſtitutionem Chriſti, non edit carnem Chriſti. Impii non communicant ſecundum inſtitutionem Chriſti: Ergò Impii non edunt carnem Chriſti. 12. Caro Chriſti eſt cibus vitæ ſpiritualis. Impii deſtituti ſunt vita ſpirituali: Ergò Impii non edunt carnem Chriſti. 13. Omnem promiſsionem oportet Fide accipi. Verba hæc (Hoc eſt corpus meum) ſunt verba promiſſionis: Ergò verba hæc oportet fide accipi. 14. Quicunque edit carnem Chriſti, ille manet in Chriſto. Infideles & impii non manent in Chriſto: Ergò Infideles & impii non edunt carnem Chriſti. 15. Paulus Eberus inquit, Participationem corporis chriſti ſola fide eſſe cõprehenſibilem: ergò diſſentit ab Hoshuſio. 19. Papiſtæ docent, Rem Sacramenti non niſi à bonis, ad vitam percipi: Ergò Veteres Papiſtas in hac quæſtione oppono Nouis. Quid ita contenditis propter impios? Quare non incumbitis eò,

vt impijs

vt impijs vel emendatis vel excluſis, conuiuas habeatis pios? Quare propter impios hæreſeos accuſatis pios?

SEPTIMVM.

QVi edunt indignè de pane Euchariſtiæ, illi fiunt rei corporis Chriſti: Ergò manducantes indignè de pane, edunt etiam carnem Chriſti. Reſp. Nego Conſequentiam.

Quia plurimi fiunt rei corporis Chriſti, qui tamen non manducant corpus Chriſti. Exempli gratia vt meliùs intelligas Heshuſi: 1. Nónne Iudæi Chriſtum crucifigentes, facti ſunt rei corporis & ſanguinis Chriſti? 2. Nónne ſuper ipſos & ipſorum filios venit ſanguis Chriſti? 3. Nónne omnes homines rei ſunt mortis Chriſti? 4. Nónne rei ſunt corporis Chriſti, qui vna oblatione corporis Chriſti, pro omnibus peccatis ſatisfactum eſſe Patri cœleſti negant? 5. Nónne rei ſunt ſanguinis Chriſti, qui docent bibi à membris Diaboli ſanguinem Chriſti? 6. Nónne rei fiunt corporis Chriſti, qui Cœlum corporis Chriſti ſanctum habitaculum, nido columbino & hyrundinario, carceri, aut inſulæ Calecuttæ comparant? 7. Qui piorum ſanguinem fundunt, nónne rei ſunt corporis & ſanguinis Chriſti? 8. Qui Parricidia impiorum ſtabiliunt, nónne rei fiunt ſanguinis Chriſti? 9. Qui Martyres Chriſti vocant martyres Diaboli, nónne rei fiunt corporis Chriſti? 10. Qui ſigillum Regis contumelia afficit, nónne reus ſit læ ſæ regiæ Maieſtatis? Qui igitur Panem, Sanctũ corporis Chriſti ſigillum, contumelia afficit, nónne etiam fiet reus corporis Chriſti? 11. Nónne hoc Chriſtus dicit eſſe iudicium, quòd homines magis ament tenebras, quàm lucem? 12. Nónne impij communicantes etiam ideò iudicantur, & magis diligant communionem Diaboli, quàm communionem corporis Chriſti? 13. Qui omiſſa diſciplina Eccleſieſtica, quoſlibet ad Synaxin admittunt, nónne rei fiunt corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti? 14. Qui ex contemptu Synaxin nunquàm accedunt, nonne rei fiunt corporis & ſanguinis Chriſti? 15. Qui ſanguinem beſtiarum loco ſanguinis Ieſu Chriſti oſtentant, vt homines à vero Chriſti ſanguine ad fictium ſanguinem ſeducant, nonne rei fiunt ſanguinis Chriſti? 16. Qui naturale Chriſti corpus, à ſe nunquàm viſum, ſculpit, pingit, & formis ac coloribus diuerſis mendacibuſq; oſtendit, atq; hiſce imaginibus fidelium animos impedit, quo minùs ſeſe ſurſum erigant, nonne reus ſit corporis & ſanguinis Chriſti? 17. Nonne & vos Heshuſi, talia phantaſtica, imaginaria, & figuratiua corpora quam plurima veſtris in templis retinetis?

Qui ne-

18. Qui negant carnem & ſanguinem Ieſu Chriſti à Fidelibus verè bibi, nónne rei ſunt ſanguinis Chriſti? 19. Qui veram carnis Chriſti manducationem, vt phantaſticam explodunt: & qui fictam manducationem carnis Chriſti, pro vera vendere conantur, nónne rei fiunt carnis & ſanguinis Chriſti? 20. Qui veram corporis Chriſti præſentiam, vt imaginariam damnant, & falſam pro vera defendunt, nónne rei fiunt corporis & ſanguinis Chriſti? 21. Nónne diſtinctæ res ſunt, Reum fieri & Participem ſanguinis Chriſti? 22. Nónne Papiſtæ etiam hanc Conſequentiam (Miles iurans per vulnera Chriſti, fit reus ſanguinis Chriſti: ergò miles iurans per vulnera Chriſti, bibit ſanguinem Chriſti) malam eſſe iudicant? Quid tibi videtur Heshuſi, nónne vos ſæpius facti eſtis rei corporis & ſanguinis Chriſti? Nónne plures communicantes rei fiunt corporis Chriſti? nónne pauciores dignè edunt de pane? Nónne Scripturæ docent, ſanguinem Chriſti à paucis bibi? nónne tu aſſeris, ſanguinem Chriſti à plurimis bibi? Nónne ſecundum tuum dogma, maior ſanguinis Chriſti copia hauſta eſt ab impijs, quàm à pijs? Nónne blaſphema hæc eſſe perpendis? Vnum atque alterum quæram adhuc: Qui mala vita & publicis ſcandalis Eccleſiam, Chriſti ſanguine redemptam, polluunt, nónne rei fiunt ſanguinis Chriſti? Qui fratres ſeſe ſimulant, & poſteà oſculo Iudæ Fidelium congregationem produnt, nónne rei fiunt ſanguinis Chriſti? Ab his omnibus dicis ne bibi ſanguinem Chriſti? Atqui Heshuſi, qui talia agunt, Chriſti ſanguinem non guſtant. Qui libris maledicis de præſentia corporis Chriſti vel eius abſentia ſcriptis, fideles in Euangelij curſu impediunt, nónne rei fiunt corporis & ſanguinis Chriſti? Putas hos ore corporis haurire ſanguinem Chriſti? Tam procul abſunt à Chriſti ſanguine, quàm procul cœlum à terra. Cogita & perpende hæc diligenter Heshuſi.

OCTAVVM.

KLebitius negauit à Fidelibus carnem Chriſti manducari verè in Synaxi: Ergò Klebitius eſt hæreticus. Reſpon.

Nego Antecedens: Nam non fuit ſtatus quæſtionis, An fideles manducent carnem Chriſti: Sed hoc quæſitum eſt, Quid ſit manducare carnem Chriſti: Vel, An oporteat verbum Manducare accipere propriè, vel tranſlatitiè, quando agitur de re ſignata Verbum iſtud tranſlatitiè accipiendum docui de re ſignata. Idque his Argumentis demonſtraui. 1. Ex grammatica patet, quòd Manducare dicatur, quaſi dentibus premere vel man-

dere. Sed quia Christi caro dentibus non manditur, necessariò sequitur, translatitiè esse accipiendum verbum manducandi. 2. In capite Ioan. 6. omnes Theologi concedunt metaphoricè accipi verbum manducandi. Quia verò tota Vetustas verba Institutionis exposuit per cap. 6. Ioannis, concludo, etiam in verbis Institutionis metaphoricè vsurpari. 3. 1. Corinth. 10. dicit Apostolus, & Patres eandem escam Spiritualem manducarint. Quia verò Essentia carnis Christi tunc nondum extitit, ore corporis corporaliter etiam à Patribus manducari non potuit: ideoque concludo, metaphoricè vsurpari verbum manducandi ab Apostolo. 4. Augustinus lib. 3. de Doctrina christiana. cap. 16. docet, Omnem sermonem, qui flagitium præcipere videtur, figuratè intelligendum esse: & addit, exempli causa, caput Ioannis 6. 5. Idem libro. 2. contra Aduersarium Legis, inquit: Si propriè intelligeretur quod dictum est, horribilius esset carnem Christi manducare, quàm perimere: & horribiliùs esset Christi sanguinem bibere, quàm effundere. 6. Idem alibi inquit: Hanc escam manducare, & hunc potum bibere, est, in Christo manere, & Christum manentem in se habere. 7. Idem inquit: Crede, & manducasti. 8. Idem ait: Edere Christi carnem, est suauiter acquiescere in Passionibus Christi. 9. Chrysost. super Ioan. Hom. 46. inquit: Quid est carnaliter sapere? Simpliciter, vt dicuntur, verba intelligere. 10. Clemens Alexandrinus lib. 2. Pedag. cap. 2. inquit: Hoc est bibere Sanguinem Iesu, participem esse incorruptionis Domini. 11. Origenes in 19. cap. Leuit. Hom. 7. Si secundum literam sequaris id, quòd dictum est, Nisi manducaueritis, occidet te hæc litera. 12. Bernardus in Psal. Serm. 3. inquit: Quid est manducare carnem Christi, nisi participare Passionibus ipsius? 13. Cyprianus in Sermone de Cœna Domini, ait: Esus carnis Christi, est perpetuum desiderium manendi in Christo. 14. Bonauentura libro 4. Distinctione 9. inquit: Si volumus accipere rectam illam manducationem Spiritualem, necesse habemus à propria significatione vocabuli nos transferre. 15. Lutherus Edere in cap. Ioan. 6. exponit per Credere. 16. Lutherus Edere in 1. Corinth. 10. exponit per Credere. 17. Eodem modo verbum manducandi exposuit Zuinglius. 18. Eodem modo Pius Oecolampadius est interpretatus. 19. Eadem ratione explanat VVolfgangus Musculus. 20. Huic expositioni non aduersatur Ioachimus VVestphalus. 21. Sic interpretantur Petrus Martyr, & Henricus Bullingerus. 22. Et quod magis est, Lucas Lossius in Catechesi

Digitized by Google

Catechesi sua inquit, Edere corpus Christi, etiam in Synaxi, idem esse quod credere. 23. Philippus Melanthon idem, cum prædictis eodem modo explicat. 24. Adamus Christianus Esum carnis christi, appellat profundam recordationem mortis Domini. 25 Ex prædictis apparet, quòd Edere carnem Christi, nihil aliud sit, quàm beneficia Mediatoris, totum Passionis meritũ, atque adeò ipsam viuificam virtutem carnis Christi, vera fide apprehendere. 26. Caluinus quoq; non plus intelligit per verbum manducandi, quàm Veteres: & Veteres non minus, q̃ Caluinus.

Macarius inquit, A nobis Spiritualiter manducari carnem Iesu Christi. Roman.10. inquit Paulus: Corde creditur ad iustitiam. Edere idem est, quod credere: Ergo corde editur Christi caro. 27 Imò Ioachimus V Vestphalus reprehendit Caluinũ, q̃ videatur plus significare per edere, q̃ verè in Christo credere. Miror aduersarios adeò cæcos, vt his non acquiescant. 28. In cap. 2. Corinth. 10. Carnem Christi edere, illis idem significat, q̃ credere. In cap. verò 1. Corinth. 11. Christi carnem edere, illis significat carnem Christi corporaliter ore corporis sine fide manducare, id est, dentibus premere. 29. Veteres Papistæ hîc Nouis sunt saniores: nam ipsi concedunt in lib. Gratiani, Panem cœlestem edere, idem esse, q̃ credere. Vtinam plurimi sic carnem christi ederent, & sic vitam æternam ex carne ipsius haurirent. Quare tam pauci sunt Spirituales manducantes? Quia vos vestris de corporali manducatione litibus, Euangelij cursum impeditis, & Spirituales manducantes flammis destinatis. Quàm multi enim Spirituales manducantes à carnalibus immaniter sunt interfecti!

NONVM.

DOctrina Klebitij, de modo præsentiæ & manducationis corporis Christi est Recens & Inutilis: Ergo non facit ad ædificationem. Resp. Nego Antecedens. Quòd non sit Recens, ex Canone Niceno, & 6. cap. Ioannis palam est. Vtilem esse sic probo 1. Quia destruit errorem Suencfeldij, de Origine humanæ christi naturæ: Nam si christi corpus simul est in multis locis, necesse est, eius Essentiam ex Diuina esse Dei natura. 2. Is manducationis modus, quem cum plurimis Pijs statuo, plenus est consolationibus. & concinnis similitudinibus potest explicari. Sicuti enim rami à radice arboris hauriunt nutrimentũ: Sicuti palmites è Vite trahunt succũ: Sicuti omnes creaturę à Sole sumunt vitalem calorem: Et sicuti corporis humani membra à capite vim mouendi sumunt, Ita Fideles è Christi carne pro nobis crucifixa,

vitam æternam hauriunt, & viuificam vim, qua ipſi viuificentur.

Quando igitur quæritur ab aduerſarijs: Si corpus Chriſti ſimul non eſt, niſi in vno cœli loco, quomodo omnes Fideles in omnibus terræ locis, vnico Chriſti corpore paſci queunt? Reſpondeo: 1. Quomodo omnes creaturæ, in omnibus vniuerſi orbis locis, vitalem calorem ex vnico Solis corpore haurire poſſunt: cùm Solis corpus ſimul & ſemel non ſit, niſi in vnico cœli loco & orbe? 2. Quomodo vna candela, quæ ſtat non niſi in vna menſæ parte, toti domui, & ſingulis in domo degentibus lumen ſuppeditat? 3. Quomodo odor ab ipſis Floribus procul per aërem diſpargitur? 4. Quomodo calor Ignis procul extra Focum, omnibus in Hypocauſto degentibus, communicatur? 5. Quomodo virtus Magnetis ad eum vſque locum extenditur, ex quo ferrum attrahitur? 6. Quomodo maritus & vxor locorum interuallis diſiti, ſunt vna caro? 7. Quomodo Fideles, corpore in terra verſantes, cum Chriſto ſunt in cœleſtibus? 8. Quomodo Paulus abſens corpore, ſpiritu ſuo præſens fuit Corinthijs? 9. Eſt ne quicquam impoſsibile Diuinæ omnipotentiæ? Stoſſelius ſcribit, modum manducationis corporis Chriſti eſſe corporalem. Heshuſius modo corporali Chriſti corpus à nobis manducari, negat. An hi non ſunt ſibi contrarij? At dicitis, In Myſterijs non eſt agendum Similitudinibus? Quare igitur vos agitis Similitudinibus in hoc Myſterio? de Ferro ignito: de Imagine hominis in ſpeculo: de Voce hominis in concione: de Arbore magna in grano: de Vino in cantharo: de Cera liquefacta? An non Chriſtus vocatur Sol iuſtitiæ? An non Chriſtũ Stellam matutinam canitis? Nónne Veteres Myſterium Trinitatis explicarũt per ſimilitudinem Solis? Nónne vos vtimini ſimilitudine Solis in Articulo Incarnationis? Nónne & ipſi Papiſtæ Solis ſimilitudine vtuntur in negotio Euchariſtiæ? Heshuſius inquit, Modum præſentiæ & manducationis carnis Chriſti eſſe ignotum pijs. Quare igitur inquis Heshuſi, corporaliter & definitiuè Chriſti corpus eſſe in pane? Quare corporaliter ore corporis aſſeris Chriſti carnem manducari? Nónne corporaliter eſt Aduerbium modi? Nónne corporaliter Chriſti corpus edere, eſt phyſicè edere? nõne phyſicè Chriſti corpus edere, eſt capernaiticè edere? Auguſtinus in Sermone ad Neophytos, quæſtionem quomodo tractat? Quærit enim, Quomodo Sanguis eſt Calix eius: &, Quomodo Panis eſt Corpus eius? Et ſoluit: Quia aliud videtur, & aliud intelligitur. Cyrillus lib. 4. cap. 13. ſuper Ioannem, inquit, Probum auditorem canes venaticos

venaticos imitari, & fatuis facilima quæque obscura videri. Idem apertè distinguit inter quomodo Iudaicum, & quomodo Fidelium. Pastor Ecclesiæ VVittenbergensis Paulus Eberus inquit, Fide esse comprehensibilem participationem corporis Christi.

Esaias cap. 7. inquit: Si non credideritis, non intelligetis: ergò fide modus manducationis intelligitur. Quæstionem (Quomodo) quam Mater Domini proposuit Angelo, tuus compater negauit ex incredulitate profectam esse. Nónne modus manducationis carnis Christi est mysterium? ☞ Nónne discipulis suis inquit Christus (Matth. 13.) Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum? ☞ Ergò Heshusiani, hoc mysterium ignorantes, nondum sunt discipuli Christi. D. Pomeranus in Psalm. 110. inquit, Christi corpus in cœlum receptum esse, sed Maiestate & efficacia Fidelibus adesse. In mysterio Circuncisionis, externa vnctio sensibus fuit comprehensibilis, sed Circuncisionem cordis anima fidelis percepit. Sic in Synaxi Vnum ore corporis gustamus, Sanguinem verò Christi ore animæ, id est, fide gustamus. ☞ Melanthon statuit manducationem signi, communem Pijs & Impijs: Rei verò signatæ manducationem solis tribuit Fidelibus. Ergò Melanthon non dissentit ab Augustino. ☞ Heshusius asserit in Synaxi triplicem manducationem: Primò, Physicam signi: Secundò, Duplicem rei signatæ, Corporalem & Spiritualem: Ergò Heshusius non consentit Augustino. ☞ Heshusius facit multas manducationes, & paucos dignè manducantes. Heydelbergæ sua illegitima excommunicatione effecit, ne multi pij non ausi fuerint mecum panem frangere. Heshusiani semper in ore habent duos illos Imperatiuos, Accipite & Manducate: Quare non vrgent vnà etiam hos Imperatiuos, Pœnitentiam agite, Vos inuicem diligite. Omnia Argumenta ab aduersarijs allata contra Spiritualem hunc manducationis modum, soluta reperies in Modesta mea Responsione. Paulus Eberus inquit: Sensuum defectui supplementum præstet fides. Concionatores Heydelbergani sæpe proposuerunt quæstionem Quomodo, hoc pacto: VVie vvirdt vns der leib Christi gegeben? Et responderunt, Mit dem brodt. Vvie vvirdt vns Christi bluedt gegeben? Responderunt: Mit dem vvyn. Et hoc pacto abusi sunt vocula Cum: Nam illa non significat modum exhibitionis, sed discrimen inter Signum & Rem signatam denotat. Cum hoc manducationis modo optimè conuenit Argumentum hoc Iacobi Andreæ: Caro Christi est cibus: Cibus adest nutrito: Ergò Caro Christi adest

Animæ, qua nutritur. Nam qui hîc in terris ex carne Christi, vi-uificam vim accipiunt, conuersationem habent in cœlo, & propinqui sunt Christi carni.

DECIMVM.

CORpus Christi simul est in multis locis: Ergò Pagella Melanthonis est hæretica. RESPONSIO.

Nego Antecedens: Idque hisce Argumentis probo: 1. Quæcunque sunt separata locis, non sunt vbique: Anima & Corpus Christi fuerũt à tempore mortis vsq; ad resurrectionem, separata locis: Ergo corpus Christi non est vbique. 2. Fulgentius scribit, totam Humanitatem Christi non fuisse in Sepulchro: & totam Humanitatem non fuisse in Inferno. 3. Augustinus Animæ tribuere noluit, quòd simul fuerit in Inferno & Paradiso. 4. Idem inquit: Vbique totus est, sed non vbique totum. 5. Idem ait: Secundum id, quòd Deus est, vbique est: secundum id, quòd Homo est, in Cœlo est. 6. Cyprianus in explicatione Symboli docet, q̃ per Ascensionem, Humanitas Christi esse cœperit in loco, vbi antea non fuerit. 7. Dydimus lib. 1. cap. 1. & Basilius 22. cap. inde probat Diuinitatem Spiritus Sancti, q̃ simul sit in plurimis locis 8. Cyrillus in Ioan. cap. 14. lib. 6. ait: Christus præsentiam corporis sui hinc subduxit. 9. Vigilius docet, Christum vbique esse secundum naturam Diuinitatis suæ, & loco circumscriptum esse secundum naturam Humanitatis suę. 10. Athanasius damnat eorum errorem, qui docent Christi corpus esse consubstantiale verbo. 11. Nulla creatura simul est in multis locis: corpus Christi verè est creatura: Ergo, &c. 12. Si corpus Iesu Christi est vbiq;, erit etiam in Inferno. 13. Si corpus Christi est vbique, sequetur, Christum vbique extra vterum Matris conceptum esse, vbique extra Bethleem natum esse, vbique extra Hierosolymam passum esse, & vbiq; extra hortum sepultũ esse. 14. Marci. 16. Angeli dicunt: Surrexit, non est hîç. 15. Si corpus Christi vbique est, vel in multis locis simul: ergo necesse est, ex Diuina natura corpus Christi suam habere originem, quare igitur reprehensi sunt hactenus Mennonistæ & Suenckfeldiani? 16. Papistæ etiam dogma vbiquitatis explodũt, & derident meritò Argumenta, quibus Heshusiani multiquitatem astruunt: quæ & ego omnia in Modesta Responsione refutaui. 17. Christi corpus nunq̃ simul visum est in multis locis. 18. Iacobus Andreæ falsò asserere videtur, Angelos simul esse in multis locis: neq; probat, quòd anima sit in manu prorsus tabefacta. 19. Prophera

Abacuk

VNDECIMVM.

CORpus Chriſti manu Miniſtri porrigitur: Ergo Pagella Melanthonis eſt hæretica. Reſp. Nego Antecedens: Idq; hiſce Argumentis probo. 1. Subſtantia carnis Chriſti non eſt niſi in cœlo: Manus miniſtri non eſt in cœlo: ergo ſubſtantia carnis Chriſti non eſt in manu miniſtri. 2. Si manu miniſtri porrigitur Chriſti corpus, neceſſe eſt, iſtud eſſe vel In Pane, vel Sub pane, vel Cum pane: Sed Chriſti corpus non eſt In pane, vel Sub pane, vel Cum pane: Ergo corpus Chriſti non porrigitur manu miniſtri. 3. Si corpus Chriſti manu miniſtri porrigitur, etiam ſanguinem Chriſti manu porrigi ſequetur. Quia verò ſæpe à diuerſis miniſtris panis & poculū porriguntur, erit corpus Chriſti in manu vnius, & ſanguis Chriſti in manu alterius miniſtri. An nō quæſo, hac ratione diſtractio corporis & ſanguinis Chriſti ſtabilitur? 4. Ioannes inquit, ſe baptizare Aqua, Baptiſmum verò Ignis & Spiritus tribuit Chriſto: Hanc humilitatem Ioan. Baptiſtæ omnes pios Precones imitari decet. Ioannes Chriſtum aſpergit Aqua, Pater verò cœleſtis Spiritus ſui plenitudine Filiū ſuum ipſemet baptizat. 5. Moyſes fatet ſe miniſtrū Circūciſionis eſſe, quę manu fiebat in præputio: Circunciſionem verò cordis tribuit Deo. 6. Chriſtus ait: Non Moyſes, ſed Pater cœleſtis vobis cibū illum dedit. 7. Aug. in Epiſt. ad Circenſes, 130 Hoc agit ille & efficit, qui per miniſtros ſuos rerum ſignis extrinſecus admonet, rebus aūt ipſis per ſeipſum intrinſecus docet. 8. Inde Papatus eſt ortus, ꝙ miniſtri hominibus perſuaſerint, ſe Reges habere ſub pedibus, & Deum in manibus: & ꝙ Sacerdotes putarint, ſuis manibus Chriſtum non ſecus incarnari, q̄ eſt incarnatus in vtero Matris ſuæ. 9. Homines rudes, hæc audientes cogitant, manu miniſtri ſibi porrigi corpus Chriſti, ſicuti infanti pulmentū manu Nutricis porrigitur. 10. Hactenus Papiſtæ reprehenſi ſunt, ꝙ docuerint ſe manu ſua Chriſti corpus continere. 11. Iacobus And. in lib contra Miſſam, art. 4. dicit, Sacerdotes illos, qui dicunt ſeſe ſua manu tenere corpus Chriſti, negare Aſcenſionem corporis Chriſti. 12. Ciuibus Aquenſib⁹ V Vormatiæ denegatū eſt hoſpitium, ꝙ non crederent Pulzium manu ſua tenere Chriſti corpus. 13. Chriſtus nusq̄ dixit: In manu miniſtri eſt corpus meum. Chriſti corpus ita ſemel ab hominū manibus tractatū fuit, ꝙ denuò in eas venire non requirat. 14. Nec ideò Synaxin ſuam inſtituit, ꝙ in manu miniſtri, ſed ꝙ in Fidelium cordibus manſionem habeat.

Ad quid

16. Ad quid quæſo, proderit vobis, ſi diu habeatis in manibus corpus Chriſti, ſi Chriſtum non habeatis in renatis cordibus?
17. Columba Ioannem docuit, quòd Chriſtus ſit ille, qui Baptizat Spiritu. Hinc concludo, ꝙ non ſint in corpore Columbæ, qui aſſeruht ſe corpus Chriſti manu ſua porrigere. 18. Magna gloria eſt Miniſtris, quòd manu ſua Sacramentum corporis Chriſti contrectent: ſed hanc gloriam cum alijs Communicantibus communem habent. Nam tempore Ambroſij, etiam reliqui Communicantes manibus ſuis tractarunt panem Euchariſtiæ. ☞ Nunc non ferunt Heshuſani, manu panem Euchariſtiæ à Communicantibus reliquis attingi, vt ipſi ſoli maneant glorioſi.
19. In Synaxi ſunt duæ diſtinctæ res: & hæ duæ diſtinctæ res requirunt duo diſtincta opera: & hęc duo diſtincta opera poſtulant duos diſtinctos miniſtros. Et Paulus inquit, quòd miniſtri ſint cooperarij Chriſti: ergò nõ porrigitur vtrũq; à viſibili miniſtro.
20. Quorum quæſo, manus iam ſunt magis auaræ, q̃ Sacrificulorum ac Concionatorum? Pudeat igitur ipſos, ꝙ iactent ſeſe corpus Chriſti ſuis poſſidere manibus. 21. Argumenta ab aduerſarijs allata, ſolidè ſunt refutata in Modeſta mea Reſponſione.

Doctrinam Heshuſij de modo præſentiæ corporis Chriſti, & de modo manducationis, etiam veteres Papiſtæ explodunt.

DVODECIMVM.

MElanthon vna & ſimili Phraſi docet vtendum eſſe: & prę fert Phraſin Apoſtoli Pauli: Ergo Pagella Melanthonis eſt hæretica. Reſponſio: Nego Conſequentiam.

Nam voculas illas (In, Sub, Cum, Per, Circumcirca,) non eſſe promiſcuè vſurpandas, ſed potiùs omnibus abſtinendum eſſe, multis hiſce Argumentis probaui. 1. Ciceroniani erubeſcunt vti alia aliqua phraſi, quam Cicero non vſurpauit: quantò magis nos erubeſcere debemus, dum in Diuinis myſterijs vtimur eiuſmodi terminis, quos in Sacris literis non inuenimus. 2. Spiritus Sanctus ſeriò nobis prohibuit, ne verbo ipſius quicquam adijciamus: Apertum autem eſt, neque Matthæum, neque Marcum, neque Lucam, neque Apoſtolum vlla ex his voculis vſos fuiſſe. Vbi Matthæus inquit, In pane eſt corpus meum? Vbi Lucas ait, Sub pane eſt corpus meum? Vbi Marcus dicit, Cum pane eſt corpus meum? Vbi Apoſtolus docet, Circumcirca panem eſt corpus meum? 4. Nemo non intelligit, non modò diuerſæ, ſed contrariæ quoque ſignificationis eſſe voculas. Etenim nemo non intelligit, id quod eſt ſub pane, non eſſe in pane: & quod eſt in pane, non

ne, non esse sub pane: id norunt rustici: id norunt pueri, quando hæc docui, dixerunt me abdita scrutari. 4. Hodierno die aliàs multæ de rebus grauissimis sunt conti ouersiæ: quid igitur stultius, quàm de voculis hisce insuper contendere. Experientia docemur, ineptas phantasias à rudibus ex eiusmodi voculis concipi. Nónne videlicet ex vocula In concipiunt phantasiam localis inclusionis ac impanationis? Ex vocula Cum phantasticè colligunt Physicam corporis Christi cum pane connexionem, sicuti butyrum pani coniungitur: Ex eadem denique vocula Consubstantiationis errorem colligunt. Audientes verò voculam Sub, aliquam corporis Christi sub panis frustulo delitescentiam imaginantur. 6. Certè formæ loquendi non debent esse contrariæ confessioni. 7. Si hæ voculæ vtiles essent ad explicationem Mysterij, Filius Dei vtique adiecisset. 8. An non melius est vti voculis & phrasibus Scripturæ: Panis est communio corporis, Poculum est cõmunio sanguinis Christi? 9. Aduersarij mei non possunt conuenire ob vocum harum discrepantiam: Alius vult omnes retinere: Alius vult vnam alijs præferre: Alius præfert In, Alius verò Sub: Alius vult omnes reijci. Quomodo ego igitur cum illis possem conuenire? Vnde quæso certamen illud de voculis? Quia non docent, quomodo carnem Christi habere debeamus In corde, Sub corde, Cum corde. 10. Papistæ docent corpus Christi esse in domo Sacramentaria seu Ciborio, Vos docetis esse in Pane: nónne propinqui estis inuicem? Rectè Melanthon inquit, quòd sitis similes Papistis. Per Schalam enim cum his componi potestis. Quare tam pertinaciter has voculas defenditis? Eò credo, quòd Catechismi vestri his scateant, quodque D. Paulo velitis esse doctiores: cùm interim ipsis Papistis indoctiores ac deteriores sitis, Illi enim in Ecclesijs suis Psalmos Dauidis retinent: Vos verò ijs magna ex parte neglectis, vestras Cantilenas (Verborgen jm brode) continentes, defendere non abstinetis. Ex iudicio Eberi apparet, in Saxonia non tantùm disputari, An sit Christi corpus In pane: Sed etiam quæri, Quàm Prope sit In pane, vel Cum pane. ☞ Quòd ambiguis & crassis Prouerbijs abstinere præstet, sic demonstro. 1. Substantialiter dicunt esse ambiguum: quare igitur ad subtilis Mysterij explicationem adhibent? quare per vocem ambiguam rem subtilem exponunt? 2. Manifestum est, ex hisce Aduerbijs nasci infinitas Logomachias. 3. Tantum laboris requiritur in illis explicandis, quantum in explicatione ipsius Mysterij. 4. Nemo nescit esse vocabula barbara. 5. Exrixis

C. Scholã-

Scholasticis est nata. 6. Semper à Pijs sunt impugnata. 7. Prę-scribere alicui phrases loquendi, quid aliud est, q̃ Tyrannidem Grammaticam exercere? 8. In Mysterijs debemus esse cauti: quomodo possumus esse cautiores, quàm quum phrasibus vtimur Sacræ scripturæ? 9. Quibusdam non sufficit realiter, sed addũt etiam comparatiuum realiùs. 10. Et quandoquidem iam dicunt oraliter, tandem addent dentaliter, gutturaliter, stomachaliter, orificialiter, ac postremò addent sensualiter. At Rustici rectiùs dicent illos agere narraliter & stultaliter. Osiander vocatus est Essentialista: quòd nos Diuinæ Naturæ participes fieri docuerit, & rectè quidem: Nam & idipsum Petrus docet. Aduersarij dicunt, substantialiter, corporaliter à nobis edi carnem Christi: qui fit, q̃ & ipsi non vocentur Substantialistæ & Essentialistæ? Barbara hæc aduerbia multos Pios in exilium eiecere, ipsamet exilio dignissima. Christus in capite Ioan. 6. vnico Aduerbio hoc (Verè) solo vsus est. Quare non adiecit vestrum Substantialiter. Matthias rectiùs dixit: Hæc Aduerbia omnia Diabolus in Theologiam inuexit. Vxor item Matthiæ contra Doctorem Rabum impugnauit voculam Cum. Vnum reliquis addam. Quidam interroganti (1. An Panis sit Corpus Christi?) respondent: Ita, sacramentaliter. 2. An corpus Christi sit in Pane? Ita, sacramentaliter 3. An corpus Christi edatur ore corporis? Ita, sacramentaliter. 4. An corpus Christi porrigatur manu Ministri? Ita, sacramentaliter. 5. An impij manducent corpus Christi? Ita sacramentaliter, respondent. Si ita aliquis mihi responderet, putarem me derideri. ☞ In Disputatione mea, dũ voce sacramenti vterer, M. Theodoricus Artopœius Svvollanus, dicebat se filium esse Matris VVittenbergæ, ac sese nõ posse ferre voces ambiguas. Cui respondi: Mater tua VVitteberga vtitur hac voce, oblitus ne es igitur linguę Maternę, &c. qua dura responsione doctissimos quosdam, præsertim Franciscum Balduinum, Præceptorem meum, Scholæ Heydelbergensis decus eximium, offenderam: qui & vocem hanc Sacramenti, propter ambiguam ac multiplicem eius significationem, in hoc mysterio subtili, nõ esse vsurpandam, satis commonstrauit. Paulus Eberus quoque in suo Iudicio Sacramenti voce non vtitur. Causas num satis graues, cùòd voculas illas, ac ambigua aduerbia impugnarim, habeam nec ne, Pij dijudicent. Argumenta contra me allata, Modesta repulit responsio. Papistæ veteres ambiguas voces nõ censent vsurpandas. Heshusius ait: In certamine phrasibus ambiguis vti, est veritatem prodere:

prodere. Plærique probant has Phrases, In, Sub, & Cum pane, & qui his vtuntur, meliùs (proh dolor) apud Principes panem suum lucrentur, quàm qui Phrasin Apostoli retinendam docent.

DECIMVM TERTIVM.

CHristus in Capite Ioannis 6. non instituit Synaxin: Ergo verba Institutionis non possunt exponi per Caput Ioan. 6.

Responsio Nego Consequentiam.

Licet enim Christus non instituerit Symbola in cap. Ioan. 6. tamen ibi de Re signata & principaliori parte Synaxeos, de Carna sua videlicet, concionatus fuit. Quid quæso, aliud est Christi caro pro mundi vita data, q̃ corpus Christi pro nobis crucifixum? 2. Concio Christi de Regeneratione præcesserit solennem Baptismi institutionem: an non licebit igitur verba institutionis Baptismi exponere per caput Ioannis tertium? 3. Caput 10. ad Corinth. præcessit caput vndecimum: Nunquid ideò prohibitum erit, Verba vndecimi capitis per decimum caput exponere? Testamentum Vetus præcessit Nouum: Nunquid ideò non licebit, testimonia quædam Noui Testamenti, per Testimonia Veteris exponere. An non posteriùs dicta, per priùs dicta exponere licet? Nónne Epistolam Pauli ad Hebræos, Veteris Testamenti lectio declarat? 4. Tota Vetustas verba Institutionis per cap. Ioan. 6. exposuit. 5. Inter dictiones, Leyb & Leychnam, inepte distinguit Vnicornius. 6. Inter dictiones Hebræas Pægar & Falchar, curiosè distinguit Vnicornius. 7. Veteres promiscuè vsi sunt vocibus his, Carnis & corporis. 8. Non mirum, q̃ meus aduersarius Veteres Scriptores, verba Institutionis per cap. Ioannis 6. exponentes, Sycophantas vocet: cum & D. Augustinum pie sentientem, quandoq; insulsissimum dixerit Theologum ☞ 6. Ioannes non recitat Historiam Institutionis, eò q̃ manducationem carnis Christi cap. 6. docuerat. 10. Reliqui Euangelistæ Historias & Signa diligenter describunt: Ioannes Conciones Christi, & Res Sacramentorum magis describit. 11. Cõmunio corporis Christi est principalior pars Synaxeos. 12. Inter carnis Christi esum, & corporis Christi cõmunionem, discrimen non inuenio. ☞ 13. Ex Recentioribus quidam, qui sunt præcipui Augustanæ confessionis Patroni, verba Institutionis per caput 6. Ioannis exponunt: Vtpote sunt Brentius, & Iacobus Andreæ. 14. Gropperus Papista doctissimus, inquit: Verba Exhibitionis exponenda esse per verba Promissionis. Et hinc dilucidè concludit, per caput Ioannis sextum exponenda verba exhibitionis.

15. Nicolaus Lyra etiam exponit verba Christi, Hoc est corpus meum per caput Ioan. 6. Magis igitur deliratis q̃ Papistæ, dum hunc mihi eripere vultis Clypeum. Nam Christus hîc non modò de fructu, sed etiam de parte principaliori Synaxeos loquitur. 16. Chrysostomus inquit, Quòd discipuli Christi ideò non sint hisce ipsius verbis (Hoc est corpus meum) offensi, quia sufficienter in capite Ioannis 6. eruditi fuerint de Christi carnis manducatione. 17. In omnibus adhortationibus de Synaxi, quæ sunt in vestris agendis, citantur ferè verba capitis Ioannis sexti. 18. Quando Vnicornius probabit dictione Carnis, & dictione Corporis diuersum significari? 19. Hesshusiani hunc clypeum non minùs fugiunt, quàm Diabolus crucem. Ego tamen eorum clypeum, videlicet 1. Corinth. 11. non reformido: imò Argumenta plurima inde mihi coducibilia promo. 19. In capite Ioannis sexto Christus certè loquitur de carne sui corporis, & non de carne corporis S. Petri.

DECIMVM QVARTVM.

MElanthon valdè commendauit verba Apostoli, Panem quem frangimus, &c. Ergo ritum Fractionis restitui optauit. Responsio. Concedo totum Argumentum. Nam quare & ego ritum Fractionis cupierim restitui, magnæ satis fuerunt rationes. In Scripturis nomen Fractionis, non Numerationis inuenio. Atque vsitatam panis formam, superstitiosam habere originem, manifestum est. Nam cùm Christus denarijs à Iuda esset proditus, putarunt panibus Eucharistiæ formam denariorum proditionis conuenire. Et panes isti ante multos annos cõtemptim Minutię numulariæ sunt vocati, Imagines deniq; Crucifixi & Agni ex schola superstitionis prodijsse, neminem ignorare puto. Cùm enim Scripturis destituti, fictam illam Corporis Christi præsentiam probare non possent, picturis ac imaginibus istud simplicibus persuadere voluerunt, & sic istas Imagunculas fulcra adorationis Panis esse oportuit. Paulus verbo frangendi vtitur. Et ne quis existimet, per solam fractionem distributionem intelligi, Euangelistæ dicunt: Fregit, & dedit. Scripturæ ritum Cœnæ fractionem vocant. Et in Actis Apost. legitur, Discipulos mansisse in Fractione panis. Ritus fractionis maximis plenus est mysterijs: admonet enim nos, quales dolores & cruciatus corpus Christi in cruce pro nobis perpessum sit. Sacramentum vnionis est, & fraternæ concordiæ: ac ideo Paulus inquit, nos vnum corpus esse, quia de vno Pane manducemus. Aduersarij etiam

etiam nomine periculoſo Hoſtiam vocant, quaſi panes iſti ſint Sacrificia. Oportet illos emi à Mercatoribus. Quandoque puluere ſunt conſperſi, Quandoque propter longiorem reſeruationem in puluerem ſunt redacti. Quandoque mucidi ſunt, vt Aegrotis illos aſpicientibus, nauſeam moueant. Ex hiſce panibus naſcuntur multæ ineptæ phraſes loquendi, Veluti: Der Leyb Chriſti iſt in eyner kleynen partikel broths, ſicuti Niſerus loquutus eſt. Item: Der Leyb Chriſti ſtecket in eyner kleynen partikel broths, Qua phraſi M. Conradus vtebatur. Iſta forma Panis, eſt inſigne omnium Sacrificulorum in monumentis ſuis. Aduerſarius meus Panis eiuſmodi & Calicis figuram noluit ferre in monumento cùm interim alias impudicas ſculpturas, veluti teſticulos & virgas in Cherubin, contra naturæ Angelicæ caſtitatem: & meretriceas nudasque mamillas in 7. Virginibus ferret. Nordana Eccleſia non parùm offenſa eſt, quòd circumtonſi panes, poſt obitum Martini Micronij reſtituti ſint. Ligarius diſſoluit infœliciter, quæ bene ligarat Micronius. Panes, quibus vtuntur Heshuſiani, correſpondent figuræ plattæ paſſicæ, id eſt, tonſuræ rotundæ, quæ eſt Character Beſtiæ. i. Der Phaffen ſchi't vnd cron, Hi interdũ præ frigore congelati, dum in Hypocauſto calido coram ægrotis tractantur, ſtatim liqueſcunt, ita vt de patella ſumi nequeant, niſi in formam pillulæ priùs contrahantur. Georgius Caſſander, quem vos Papiſtis connumeratis, hac de re præclarè collegit. Sermones etiam prophani ſunt orti ex hiſce Panibus: Vocantur vulgo Dij, ſeu Hergot. Epicurei etiam interrogati, Quare tot ſint Diaboli, & vnus ſaltem Deus, inquiunt: Die Pfaffen haben ſo vil Hergot gefreſſen. Quandoque etiam in terram à vento poſt Conſecrationem proſternuntur, ex quo conturbatur Sacrificulus, neſciens quid illi agendum, an denuò ſint conſecrandi, vel erasa terra comburendi. Oportet etiam & Pixidem ad hos panes comparari. Cùm Heydelbergæ pixides argenteæ eſſent conflatæ, Heshuſius in lignea, eaque ſordida, ac non digna in qua Bubulcus ſuum recondat butyrum, panes hos reponi tulit. Sed quare Heshuſiani ita defendant has particulas, audi: Vident per verum hunc Fractionis ritum falſum illorum dogma, quòd panis ſit Eſſentiale corpus Chriſti, confringi. Nam Fideles ſic colligerent: Chriſti Corpus non frangitur: Ecce, Panis frangitur: Ergò Panis non eſt eſſentiale corpus Chriſti. Item: Ritus Fractionis Concordiæ nos admonet: Heshuſiani ſunt inimici concordiæ Chriſtianæ: Ergo impediunt, quò minùs reſtituatur Ritus fractionis. In publica

Disputatione mea ritum Fractionis defendi: ac defendente Bo-quinus assensit: Academia disputationem obsignauit, quomodo igitur bonum piumque ritum hunc non constanter tuerer, Imò Papistæ ipsi Fractionis vestigia in missa sua retinuerunt. Perpende Heshusi, satiùs ne vobis sit, Bestiæ Characterе potiùs vos Synaxin polluere, q Pauli ritum sequi ac imitari!

DECIMVM QVINTVM.

PAgella Melanthonis nititur Iudicio rationis, & detrahit Deo laudem omnipotentiæ: Ergo Pagella Melanthonis est hæretica. Responsio. Nego Antecedens.

Scripturæ sacræ à nobis non exigunt, vt credamus omnia esse vera, quæ sunt contra rationem. Alioquin credere oporteret, aquam esse ignem. 2. Scripturæ non exigunt à Fidelibus, vt sint creaturæ irrationales. 3. Doctrina Christi de modo manducationis, aduersatur plurimùm rationis iudicio: ideoque scandalizati sunt Capernaitæ cap. 6. Ioan. 4. Brentius & Iacobus Andreæ Argumentum rationis in negocio Eucharistiæ, opponũt Papistis, hoc pacto: (Das brodt jst der leyb Christi: Die Pfaffen brechen das brodt jn drey stucken. Ergo rectè dicunt Rustici: Die Pfaffen radebrechen den leyb Christi.) 5. Paulus in negocio Resurrectionis, Argumentũ ex natura ductum de granis, opponit Antagonistis suis. 6 Docemus modum manducationis sola fide percipi. Vos docetis incredulitate, tanq̃ instrumento ab impijs Christi corpus accipi. Papistæ fide mysterium comprehendendum docent. 7. Marci 5. legimus, quòd quidam petierit Christum venire in ædes suas, filiæ sanandæ gratia. De alio legimus, quòd dixerit Christo, Loquere saltem verbum, & sanabitur seruus meus. Vter quæso ex hisce duobus tribuit maiorem laudem omnipotentiæ Christo? 8. Heshusius docet, q Christi corpore pasci non possimus, nisi id veniat in panem. Klebitius cum Christo asserit, quòd omnes fideles in omnibus terræ locis, vnico Christi corpore, quod in cœlis est, pasci queant. Vter ex his duobus quæso, maiorem omnipotentiæ laudem Christo attribuit? Quid respondetis Heshusiani? Nónne Papistæ hîc me veriorem habere causam fateri coguntur?

DECIMVM SEXTVM.

CHristus dixit, Hoc est corpus meum: Ergo Panis est essentiale corpus Christi. Resp. Nego Consequentiam.

Christus dixit Hoc, non dixit Sub: Christus dixit Est, nõ dixit In: Christus dixit Corpus, non dixit Corporaliter: Christus dixit

dixit Meum, non dixit Cum. 1. Panis in Synaxi frangitur: corpus Christi in Synaxi non frangitur: ergo Panis non est essentiale corpus Christi. Minor. Quia corpus Christi semel pro nobis oblatum est. 2. Aduersarij in explicandis illis verbis, multis Tropis vtuntur, dicentes: In pane, Sub pane, Cum pane, Circumcirca panem. Si iam volunt esse Simplicistæ, quare ab illis expositionibus non abstinent? Quid aliud sunt illæ expositiones, q̃ Tropi? At inquiunt: Vtimur illis declarationis gratia. Ita ne? Nos ve ò illis, Signi & Rei signatæ, etiam vtimur declarationis gratia, idq; commodiùs & sine periculo. 3. Aduersarij scribunt, per Panem nobis dari Christi corpus, tanq̃ per medium. Nemo ignorat aliud esse Medium, & aliud esse Rem, qnę datur per medium. 4. Paulus meritò haberi debet interpres verborum Christi, qui non inquit: Panis est substantiale corpus Christi. neque dicit: Panis est substantia corporis Christi. Sed ait: Panis est communio corporis Christi. Tria igitur illa, Panis, Corpus & Cõmunio corporis, distinctæ res sunt. 5. Qui verba Christi simpliciter intelligit, is contradictionem ponit inter caput Ioan. 6. & verba institutionis. Nam si Panis est corpus Christi, etiam Infidelis manebit in Christo. 6. Appendix Christi (Quod pro vobis datur) manifestè Tropum continet: quia Panis non est pro nobis crucifixus. 7. Si simpliciter intellexeris, tunc ore corporis ederetur caro Christi. 8. Vnde hæresis Arriana? an non ex simplici & literali huius (Pater maior me est.) expositione? 9. Vnde hæresis Antropomorphitarum, nisi ex hac (Oculi Domini super iustos) litera? 10. Vnde error Mennonitarum, nisi ex huius (Verbum caro factum est.) literali sensu? 11. Vnde hæresis Origenis, nisi ex huius (Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt) literali intellectu? 12. Vnde hæresis Heluidiana, nisi ex literali huius (Christus fratres habet) sensu? 13. Vnde hæresis de manducatione Impiorum, nisi ex verborum (Hoc est corpus meum) literali sensu? 14. Augustana Confessio emendata inquit, Cũ pane corpus Christi exhiberi: ergo literalem sensum nõ retinet. 15. Frequens mos est Scripturæ, Signo dare nomen Signati. Gen. 17. Circumcisio vocatur Fœdus. Gen. 41. Septem boues dicuntur septem anni. Exodi 12. Agnus Paschalis dicitur Transitus. Leuit. 16. Sacrificia vocantur peccatorum expiationes. Moyses accepto sanguine vituli in patera, aspersit Filios Israel, dicens: Hoc est testamentũ, quod disposuit Dñs ad vos. Hic inquit Ambrosius, fuit figura Testamenti. Ephe. 6, Baptismus vocatur lauacrũ Regnationis.

Dicente

☞ Dicent hîc aduersarij, Victoſam eſſe illationem à ſingulari ad vniuerſale: videlicet, In quibuſdam teſtimonijs Scripturæ eſt tropus: ergo hîc etiam eſt tropus. His reſpondeo, Ipſos etiam contrariam ſententiam ex ſingularibus colligere, hoc pacto: In multis locis oportet retineri Toriton: Ergo hîc quoque oportet retineri Toriton, 16. Auguſtinus ſuper Pſalm. 3. inquit: Figuram corporis ſui Chriſtus dedit diſcipulis. Lib. 3. de Doct. Chriſtiana, cap. 5. inquit, Miſerabilem animæ ſeruitutem eſſe, Signa habere pro Rebus ſignatis. 17. Tertulianus Panem appellat figuram corporis Chriſti, 18. Gregorius Nazianzenus, Synaxin vocat figuræ figuram. 19. Baſilius partes Cœnæ vocat Antitypa. 20. Cyprianus lib. 2. de Vnctione, cap. 3. Signata & Signantia ijſdem nominibus appellantur. 21. Theodoretus Dialogo primo inquit, fieri hîc commutationem nominum, Signi & Rei ſignatæ, Cap. 6. Ioan. Caro Chriſti vocatur Panis, Matth. 26. Panis vocatur Corpus. 22. Bertramus inquit: Panis figuratè corpus Chriſti exiſtit. 23. Canon Nicenus Panem & Vinum vocat reſurrectionis noſtræ Symbola. 24. Ambroſius libro. 4. cap. 4. de Sacramentis, Vinum vocat ſimilitudinem Sanguinis. 25. Philippus Melanthon Panem vocauit imaginem Corporis, & Poculum imaginem Sanguinis Chriſti. 26. Euſebius Eccleſiaſt. Hiſtoriæ libro. 9. cap. 9. Panem vocat Signum Dominicæ mortis. 27. De Conſecrat. Diſt. 2. gl. in cap. Hoc eſt, nec Panis Sanguinem, nec Vinum ſignificat Carnem, Cœleſte Sacramentum, quod eſt in Altari, impropriè corpus Chriſti dicitur. 28. Beda in Lucam: Pro ſanguine Agni, Sacramentum ſui Sanguinis in figuram Vini ſubſtituit. 29. Lucas Loſius Metonymiam recipit in verbis Calicis. 30. Brentius Panem vocat Sigillum corporis. 31. Annulus Sponſæ à Sponſo datus, Fides dicitur, cùm ſit tantùm Symbolum fidei. 32. Lutherus Synecdochen recepit in verbis Chriſti. 33. Heshuſius negat in verbis Chriſti (Hoc eſt corpus meum) figuratam eſſe locutionem: ergo aduerſatur Luthero. 34. Staphilus argutus & doctus Papiſta, quem vos ex alto contemnitis, inquit, quòd ij, qui dicunt In pane, Sub pane, & Cum pane, etiam ſunt Zuingliani, id eſt, diſcedentes à toriton. 35. Sicuti verba de Calice, ita & verba de Pane oportet exponere. Lucas 22. cap. verba Chriſti de Calice, ſic exponit: Hic eſt calix noui fœderis in ſanguine meo: Ergo Panis quoq; eſt Panis noui fœderis in corpore Chriſti. 36. Heshuſius tandem conſentit, Panem eſſe Symbolum corporis Chriſti. 37. Melanthon hæc verba Pauli-

Digitized by Google

ba Pauli: Panis est koinonia: exponit, id est, Panis est medium, quo exhibetur corpus Christi. 38. Melanthon in verbis Christi (Hic calix est Nouum Testamentum) Metonymiam statuit, id est, Sigillum noui Testamenti: Et Calicem sentit Nouum Testamentum dici, sicuti Fasces dicuntur Romanum Imperium. Quid ad hæc Greynerc? Pastor VVittenbergensis hanc expositionem collaudat. 39. Multi iam disputant, An sit panis, nudus panis, vel an sit vestitus: obliuiscentes interim sese virtutibus vestire Christianis, ac Spiritu Dei repleri.

DECIMVM SEPTIMVM.

PAgella Melanthonis negat Vnionem panis & corporis Christi: Ergo Pagella Melanthonis est hæretica. Responsio.

Theologi multa fundunt verba de vnione Panis & corporis Christi, interim piam illam hominis cum Christo vnionem turpiter negligentes. ☞ Disputant, an vnio panis & corporis Christi sit Hypostatica, an sit Physica, an sit Formalis, an sit Sacramentalis, an sit mystica: Et quot comminiscuntur vniones, tot verè constituunt dissensiones. Vtinam, ijs omissis, scribere ac docere iam tandem incipiant, quomodo Christus & homines vnian tur, ac quomodo vniti in Christo maneant. ☞ Multi per peccata sua procul sunt (proh dolor) à Christo semoti. Ego quoque sensi me, per meam de vnione panis & corporis Christi disputationem, no propiorem, sed remotiorem potiùs redditum à Christo. ☞ Substantia carnis Christi tam procul est à pane, q̃ procul cœlum est à terra remotum. ☜ Scripturæ sæpe distantię cœli & terræ mentionem faciunt. Et Psalmista inquit: Tam procul iram Dei à peccatis fidelium esse, quàm procul cœlum à terra. ☞ Iacobus Andreæ probare conatur, cœlum hîc in terris esse, at mihi id non persuadebit: verùm Deo iuuante, contrarium ipsi facilè commonstrabo. Papistæ consequentiam illam: Cœlum est extra locum, ergo etiam alia corpora sunt extra locum, vitiosam esse iudicant.

CONTRA ELECTOREM.

ARGVMENTVM PRIMVM.

MINISTRI Euangelij (iuxta Doctrinam Pauli) debent Contradicentibus os obturare: Ergo Elector Palatinus pedibus conculcauit veritatem Iesu Christi, Vtrique parti silentium iniungendo.

Responsio: Nego Consequentiam.

De- Iussi enim

Iuſsi enim ſumus vtrique perſpicuam Confeſsionem exhibere: Vtriuſque confeſsionem Elector Viris Doctis exhibere voluit. Synodum doctorum virorum congregare ſtatuit. Silentium, cum conditione ſaluæ conſcientiæ & illæſæ veritatis, nobis ad tempus iniunxit. Magiſter Aulæ inſuper nos non ſine lachrymis, vt infirmæ adhuc ac teneræ Eccleſiæ rationem haberemus, rogauit: Cui Chriſtianiſsimam petitionem proponenti, genua flectens cõtumeliosè illuſiſti. A mutuis præterea conuitijs abſtinere ſumus iuſsi: Veritatem modeſtè tueri non ſumus prohibiti. Silentium hoc Heshuſi, non (vt tu dicis) veritatis opprimendæ cauſa, ſed iam dudum oppreſſæ releuandæ gratia, nobis mandatum fuit. Perpendebat enim Elector, per furioſos clamores Euangelicam Veritatem inquiri ac promulgari minimè poſſe. Cauſa denique tum temporis nondum exactè dijudicata fuerat. Si enim Electori conſtitiſſet, tuam cauſam planè fuiſſe iuſtam, meamque iniquam, procul dubio mihi ſoli ſilentium iniunxiſſet. Sed cogitauit forſitan id, quod diei ſolet: Iliacos intra muros peccatur, & extra. Atq; iam intelligis Heshuſi, quòd (vero ſibi nunc ſatis cognito) Elector vtranque Sententiam in Eccleſijs ſuis defendi non ſinat.

SECVNDVM.

HEshuſius ideò eb Electore dimiſſus eſt, quia noluit damnare Phraſin Chriſti, & Phraſin Pauli, & quia noluit loqui cothurnicè: Ergo iniuſtè & Tyrannicè ab Electore dimiſſus eſt Heshuſius. Reſponſio: Nego Antecedens.

Phraſin Chriſti, & Apoſtoli Pauli Elector, nulla nec litera nec ſyllaba prohibuit. Sed duas has Phraſes (Panis eſt eſſentiale corpus Chriſti) (Impij ore corporis manducant carnem Chriſti) Phraſes Chriſti vel Pauli eſſe negauit. ☞ M. Gaſparus Catechiſta phraſin hanc Lutheri, Sub pane, eſſe optimam docuit. Tu phraſin Tertulliani, In pane, alijs præferendam dixiſti. Greynerus vobis vtriſque contrarians, voculas has, In, Sub, & Cum, promiſcuè vſurpauit. M. Gaſparo literas ſcripſi, quibus ipſum monui, voculam Cum eſſe meliorem vocula Sub: & phraſin Pauli omnibus præferendam cenſui. Reliquos quoq; amicè admonui, vt ſimili vterentur phraſi. Cumque hæc inter nos, non priuatim modò, ſed magis etiam publicè agerentur, Elector Palatinus ferre noluit teneram Eccleſiam iſtiuſmodi Logomachijs conturbari: Ideoque piè à nobis poſtulauit, vt omnes vna, eademque, & ſimili vteremur phraſi. ☞ Cumque interim Elector à te Heshuſi, traduceretur, quaſi ab Auguſtana Confeſsione defeciſſet, & te

& te mendacij conuinceret, tuoque te gladio confoderet, prætulit mecum Phrasin Augustanæ Confessionis emendatæ, C V M PANE. ☞ Cumque tu Heshusi, anteà in exhibita tua Confessione commendasses Phrasin illam, IN PANE, pertinaciter quoque eam tueri voluisti: ideoque pio Electoris mandato, vllo modo obsequi noluisti. Et ita cæca tua pertinacia tibi dimissionem peperit. Phrasin hanc Augustanæ Confessionis emendatæ, C V M PANE, vocasti Cothurnum: Reliqui verò omnes tui Collegæ obsecuti sunt Electori, nono die Septembris: & expressè tuam hoc obsequio damnauerunt Confessionem: & pol liciti sunt omnes, se deinceps vsuros tantùm hac vocula, C V M. ☞ Verùm, vt homines leuissimi, posteà non tantùm loquuti sunt, Sub pane, & In pane: verumetiam cecinerunt In pane. Hinc Prouerbium hoc ortum est: Concionatores Heydelbergenses nolunt deserere voculam S V B.. ☞ Item & illud:

VVilhelmus non potuit IN officio C V M alijs manere, eò quòd impugnauerit voculam S V B. ☞ Papistæ inquiunt, quòd Principes ac Authores Augustanæ Confessionis sunt Cothurnici. ☞ Concionatores quidam Palatini sunt Cothurnici: Quia probant Augustanam Phrasin, Cum pane, quam Heshusius vocat Cothurnum, Sed heus tu Heshusi: Dum tu te proprio gladio confossum sentires, teque in maximis angustijs constitutum intelligeres, quæ quæso anxio tuo voluebas animo? Hæc, ni fallor: O miserum me Heshusium! Fratribus meis dicere non possum, quòd propter Augustanæ Confessionis defensionem dimissus sim: miser quid aggrediar? Tandem quid egisti? Nónne, vt Catilinarij sanguinis spumas emitteres, furiosè contra Augustanam Confessionem, post acceptam etiam dimissionem, concionari incepisti? Nónne quæso, Cothurnum illam vocitasti. ☞ Nónne amplo pallio, sub quo Deus & Sathan latère possent, eam contulisti? ☞ Nónne Sexies illam emendatam esse dixisti? Nónne has emendationes, magna ostentatione, coram frequentissima populi turba, vbi tot tibi hostes, quot amici erant congregati, præter necessitatem recensuisti? Nónne incertum esse, quid sub illius nomine de Synaxi credendum sit, asseruisti? Nónne, vt hoc sciri possit, peculiari Synodo opus esse docuisti? Nónne Lutherum Augustanæ Confessionis Authorem dixisti? Nónne ex Articulis Smalcaldicis, eius interpretationem sumendam dixisti? ☞ Nónne Consiliarios Palatinos, vt mendaces & defectores ab Aug. Confessione asseruisti?

Nónne propterea dimissionem solenniorem te accepisse probè nosti? Nónne te diu post dimissionem clementer in sua Republica tulit Elector? Nónne insuper dimidij anni salario donatus, maiori quàm ego viatico ab ipso adiutus fuisti? Cùm Cuniũ ad nouas turbas incitares, nónne te dignum expulsione cogitasti?

☞ Putas quòd Apostoli semper tam clementer fuerint dimissi?

Id omittere non possum: De Augustana Confessione tam scabiosè nunquàm locuti sunt Papistæ, quàm tu Heshusi. Nam illi tantùm scribunt, eam sæpiùs esse emendatam, ac eam Pandorę pixidi tantùm comparant. Vt rectiùs rem intelligas Heshusi. Tui labores nónne erant eò omnes intenti? 1. Vt ex pane fabricares corpus Christi? 2. Vt in Pane concluderes corpus Christi? 3. Vt persuaderes manum tuam esse domicilium corporis Christi? 4. Vt in polluto impij communicantis ore reponeres corpus Christi? 5. Vt demonstrares, ab infidelibus manducari carnem Christi?

Nónne ècontrà Electoris propositum erat? 1. Vt è malis hominibus efficeremus bonos? 2. Vt pectore fideli custodiremus participationem corporis Christi? 3. Vt amissam è corde per contentionem, aut alia peccata, manu cordis, id est, fide reciperemus denuò Koinonian carnis Christi? 4. Vt ex ore immundo efficeremus per crebras pietatis admonitiones, organon laudis atq; gratiarum actionis? 5. Vt impijs vel emendatis vel exclusis, probos Conuiuas ad Synaxin inuitaremus? Cogita iam Heshusi, cuius nam studium fuerit præstantius, tuum ne, an Electoris?

Qui quæso tuo labore ædificantur? 1. Consecras multos panes, & ex quolibet Christi corpus creas: Interim pauci consecrantur homines, & pauci ex malis fiunt boni. 2. In multis panibus Christi corpus recludis: interim plurimi homines Christo vacui manent. Manum tuam corporis Christi domicilium prædicas: interim pauci ex auditoribus tuis, in domo cordis Christum posident. In ore impij polluto corpus Christi reponis: interim pauci ore mundo sacrificium laudis offerunt Christo crucifixo.

In Iuda & ipsius fratribus, corpus Christi recondis: interim paucos fratres nanciscitur Petrus. Quid quæso commodi ex hac Theologia speretur. ☞ Quis iam est ille Diabolus, qui sub Augustanæ confessionis pallio latère cupit? Nónne Heshusius ipse ille est? Mysterium, Mysterium clamabis. Nosti etiam mysterium quid sit Heshusi? Dicam tibi: ☞ Quum Theologi Phantasma aliquod ex cerebro corrupto genuerunt, id Mysterij nomine baptizant: & quicunq; postea Spiritum hunc partum adorare re-

rare recusat, hunc flammis & gehennæ destinant. Nónne & Sacrificuli suum monstrantes Ciborium, Mysterium, mysterium?

TERTIVM.

Necesse est alterius Confessionem, vel Heshusij, vel Klebitij esse veram: Ergo impiè egit Elector Palatinus, qꝙ vtrunq; dimiserit. Respon. Nego Consequentiam. Nam qꝙ vnà tecum dimissus sum hæ sunt causæ. ☞ Si ego in officio mansissem, maior tibi fuisset ignominia: igitur, vt minor tibi confusio incumberet, etiam mihi data est dimissio. 2. Elector reliquos, per meam dimissionem, in arctiori voluit continere concordiæ vinculo, & furorem ipsorum hac ratione compescere studuit: tecum enim conspirauerant adeò, qꝙ omnes mallent dimitti, quàm mecum panem frangere. 3. Habebat insuper in animo Elector & alios Catilinas dimittere: & vt hi minus haberent querimoniæ, etiam mihi dimissionem dedit, qui obsecutus eram mandato ipsius magis, quàm alij, qui manebant in officio. 4. Ne præiudicium esset veritati meæ dimissio, Elector quendam eiusdem fidei mecum, mihi substituit: Et qui huic sese opposuit, etiam tandem dimissus est. 5. Elector quoque tum temporis, causa nondum satis dijudicata, noluit sese partialem declarare meam ob personam. 6. Si me in officio retinuisset, plurimæ ipsi fuissent deorandæ calumniæ. 7. Plurimæ falsæ de me accusationes Electori allatæ, quæ à me nondum erant refutatæ. Et in primis falsò etiam delatus à Gasparo, quòd scilicet publicè cum ipso contenderim, in Templo, in Foro, coram plurimis, magno clamore, & qꝙ insuper ipsi pugnum minatus essem: quæ omnia ficta erant. 8. Minquitius denique, cui summa tum erat authoritas, non modò quia Cancelarius, sed etiam qꝙ Metropolis Palatinę Regionis ei dicebatur oppignorata, summus tibi patronus, mihiq; infensus erat. 9. Motus erant magni ac subiti, omnium animi exasperati, consilia diuersissima, Consiliarij Politici distracti, diuisi Senatores Academiæ, Senatores vrbis commoti, omnes studiosi concitati, Ciues omnes denique ad discidium excitati. Alij me solum, alij te solum, alij vtrunque censebant dimittendum: alij vtrunque submergendum, alij vtrunque ad causæ agnitionem vsque, suspendendum ab officio, alij omnes nobiscum reliquos dimittendos putabant. Vt Lector rem meliùs intelligat, paucis verbis Historiam attingam. ☞ Die tertio Septembris fallis tuis dogmatis respondi, & confessionem meam Scripturis muniui. Nam die ante illum quarto in me priùs publicè debacchatus eras. Die eiusdem mensis sexto me

excommunicasti. Die 8. Septembris à Gaſparo, Sus vaſtans vineam Domini, appellatus eſt Heshuſius. Hinc Prouerbium natum: Heydelbergæ Sus excommunicauit Klebitium. Die verò nono, Elector omnes Eccleſiæ miniſtros in Cancellariam conuocat, ibique ſingulis Sententiam ſuam proponit: cuius Sententiæ omnes, præter ſolum Heshuſium, acquieſcunt. Die proximè ſubſequenti Dillerus hanc Electoris ſententiam, eo præſente, publicè Eccleſiæ indicat: cuius hæc præcipua fuerunt capita. 1. Ne quis loquatur amplius, Sub pane, In pane. 2. Retineatur Phraſis & Sententia Confeſsionis Auguſtanæ, Cum pane. 3. Nemo commoueat poſthâc turbas. 4. Propter Tilemanni excommunicationem, nemo cum V Vilhelmo panem frangere recuſet. 5. Synodum Doctorum virorum Electorem promiſiſſe recenſet. 6. Priora peccata ſint vtrique perſonæ, Heshuſio & V Vilhelmo condonata. Ipſo eodem die, habita iam hac Concione, Dillerus mecum Panem frangit, & Synaxin adminiſtrat, Eccleſia quoq; communicat, neglecta Tilemanni excommunicatione. Eodem die à meridie Pantaleon, contra fidem Electori nono Septembris die datam, ſeſe huic dictæ concioni opponit, V Vilhelmum vt falſum Prophetam traducit, & ab officio remoueri poſtulat. Die decimotertio eiuſdem menſis Heshuſius, neglecto Electoris mandato, non minùs, imò magis etiam, q̃ ſolet antea, loquitur In, Sub, & Cum: & Auguſtanam Confeſsionem Papiſtis ridendam proponit, vt ſuprà dictum eſt. Die 15. Gaſparus quoque, contra datam Electori fidem, ſeſe Concioni Dilleri oppoſuit, meque duas ob cauſas remouendum ab officio aſſerit. 1. Quia Oſiandrico imbutus eſſem veneno. 2. Quia vna mea Concione de Synaxi habita, plus deſtruxerim, quàm ipſi multis iam annis ædificarint. ☞ Dolebat enim, per vim ac efficaciam vnius ſanæ Inſtructionis, omnes ſuas & ſuorum præſtigias fuiſſe diſsipatas. Finita iam iſthac ſua contra Dillerum concione, & iam plærique templo egreſsi eſſent, & pauci admodùm adhuc reſidui Baptiſmo aſtarent, etiam ipſe Gaſparus domum iturus exiuit, quem ſubſecutus ſum, & ad fores templi foris, ſolus ſolum, Latinè Latinum, verbis paucis, voce ſubmiſſa, in angulo ſeparatim allocutus ſum. Ac primò reprehendi eum ſuæ perfidiæ, quòd contra datam fidem Chriſtianiſſimæ Dilleri concioni ſeſe oppoſuerit. Ac deinde ipſum interrogaui, qua impudentia hanc mihi affingeret calumniam, cùm non ignoraret, meam Confeſsionem de iuſtitia fidei, approbatam fuiſſe ab ipſo Heshuſio, Ille verò, cum nihil in promptu haberet,

quod

quod ad hæc mihi reſpondere poſſet, tandem inquit: Tu omnes hæreſes defendis. Cui ego: Mentiris, inquam, ſplendrdè: Tuam enim, tuorumque de Euchariſtia hæreſin non defendo. Hoc autem huius Gaſpari erga me odium inde eſt ortum, quòd ab Orthone Henrico in functione miniſterij huic prælatus fuerim, & q̃ non pauca falſa ipſius dogmata, quę homo Theologiæ ignarus effutiuerat, ſolidè & Chriſtianè refutarim. Quantum huic homini bilis inſit, ſatis inde perſpicuum eſt, quòd Pium ſuum Paſtorem Magiſtrum Zachariam, quadrato ſemel petierit lapide. ☞ At hodierno die, dum affectibus tanguntur Theologi, ſemper Zelum prætendunt, vt Scelus defendant. Eodem die per literas Magiſtrum Aulæ conſului, an Pantaleonem coram Cancellaria accuſandum cenſeret. Magiſter Aulæ nullum mihi reſponſum remiſerat: vnde, nec meas literas illi eſſe traditas, ſuſpicor. Conſului item Cirlerum, num Actionem contra Gaſparum inſtituere mihi ſuadeat, quod is mihi tum diſſuaſit. Die decimoſexto verò à meridie hora quarta vtrique dimiſi ſumus. Tilemannus: quòd voculas In & Sub reijcere nollet, quodque Cothurnicè de Auguſtana Confeſsione concionatus eſſet. Ego autem, quòd Gaſparum ob fidem non ſeruatam, & mandatum Electoris violatum, indecentiùs q̃ par erat reprehenderim. Nulla alia, præter dictam, dimiſsionis meæ cauſa allata fuit. Nam à die 10. vſque ad 16. Septembris, Sex à me Conciones ſunt habitæ, in quibus totius huius negotij ne literam attigeram. ☞ Omnes quotquot huic negocio indies interfuere viri ingenui, fateri cogebantur, Pantaleonem & Gaſparum fuiſſe publicos, primos, maximos, & perfidos mandati tranſgreſſores, ac ipſo Heshuſio maiores. Hic enim eo ipſo die, quo mandaretur, ſe mandato non obtemperaturum apertè dicebat. Nec mandatū hoc mihi & Heshuſio tantùm, ſed omnibus ac ſingulis, publicè & priuatim iniunctum eſt. Elector excuſabatur hoc pacto, quòd videlicet multa myſteria ignoraret.

Alij putabant Pantaleonem à Scriba Ciuitatis & Nicolao Pulzio inſtigatum fuiſſe, vt Concioni Dilleri ſeſe opponeret: Si veras ac omnes dimiſsionis meæ cauſas hîc non recenſui, Electoris Palatini Conſiliarios rogo, vt ipſi eas exprimant. ☞ Ipſi Papiſtæ condolent Electori, & factum ipſius non damnant, quòd hiſce de cauſis vtrique dimiſsionem dederit. Prudentiſsima Domina, Comitiſſa Embdana, ſemel etiam Lutheranum & Zuinglianum ſimul eiecit Norda, cùm rixarentur de Synaxi, ac neuter admonitus à rixis deſiſteret, ☞ Multum dicis Heshuſi, de Zelo:

ſed

ſed Theologorum Zelus quandoque Scelus eſt, & quandoque potiùs carnis effectus, quàm Spiritus ſancti motus. Et Verſiculus hic non eſt planè falſus: Codex Iuriſconſultorum, Recipe Medicorum, & Zelus Theologorum confundunt ſæpe totum Forum.

QVINTVM.

HEshuſius à Comite Georgio Erbacenſi bis ad diſputationem pertractus fuit: Ergo Comes Georgius eſt author turpæ, Reſponſio, Nego Antecedens. Nam cùm Elector Palatinus Auguſtam profectus eſſet, propter inaugurationem, & Comes Georgius Erbacenſis vice Principem ageret, atque ab alijs admoneretur, inter nos duos ſemina eſſe periculoſæ diſcordiæ, metueretque hinc flammas publici orituras incendij, officij ſui eſſe duxit, huic publico malo Chriſtiana prouidentia obuiam venire. Nunc te compello Heshuſi: Nónne vtrique ab ipſius Generoſitate vocati fuimus? nũquid iniqui quicquam nobis ab ipſo iniunctum fuit? ☞ Nónne tibi Tria hæc potiſsimùm iniunxit? 1. Ne Theſes meas ac ſcripta exteris mitteres? quia volebat hęc à Theologis Palatinis componi. 2. Ne abſente Electore, coram plebe & ſtudioſis, in ſuggeſtu & cathedra hanc rem tractares? 3. Vt ſcriptis meis reſponderes? His tribus te obſecuturum promiſiſti. Quid item & mihi iniunctum fuit, audi: 1. Ne ampliùs tibi ſcriberem. 2. Ne in ſuggeſtu hanc rem mouerem. 3 Vt à te reſponſum expectarem. An non hæ piæ quæſo, fuerunt inducię? Potuit ne quicquam ad cõpoſitionem concordiæ prudentiùs proponi? Nonne tu ipſemet hanc rationem approbaſti? Quare quæſo meminiſti diſputationis ſecundæ? Anno 59. die 4. Auguſti, à Viceprincipe omnes Miniſtri Eccleſiæ conuocati ſumus. Id ne malo fine? minimè. Nónne à Generoſo Comite conciones noſtræ diligenter erant auditæ? ☞ Nónne vt Chriſto ſeſe morigerum præberet, vt animæ ſuæ conſuleret, vtque ſuis pietatis exemplo ſubditis præluceret, vt arctiori nos concordiæ vinculo coniungeret, ſeque ipſum magis Chriſto vniret, etiam Panem nobiſcum frangere voluit? Cumque Paſtor nondum eſſet creatus, nónne iſtud omnibus nobis ſignificans, miniſterium publicum & nos honore affecit? Nónne quæſo, Chriſtianam confeſsionem edidit? Nónne verba, cum grauitatis, tum pietatis plena protulit? Nónne aliquoties os tibi obturauit? Nónne Sacramentiperdam te eſſe conuicit? Nónne ſæpius, quod reſponderes, non habuiſti? Quoties quæſo, obmutuiſti? Nónne foris à Collegis tuis & te ſimul Comes fuit excommunicatus? Nónne eadem hora intus à te ſolo

solo fuit exclusus, à reliquis tuis Collegis absolutus? Nónne confessionem Comitis, à Brentio & Philippo approbatam, condemnasti? Nónne inter meam & Comitis confessionem, summa erat concordia? Nónne igitur, absoluto Comite à Collegis tuis, ab ijsdem & ego liber ab hæresi pronunciatus fui? Sed quæsó, cur Comitem excommunicasti? Tribus hisce conspicor de causis: 1. Vt Saxonicos quosdam in hæresi sua cõfirmares Doctores. 2. Ne inter Martyres, propter huius doctrinæ defensionem à fratribus tuis combustos, in cœlis habitaculum haberes. 3. Ne Klebitium ab hæresi liberum pronunciares. Cumque eodem die duo mihi simul mortui essent liberi, nónne humanitatis omnis expers, ineptam contra me accusationem instituisti? Quòd ego, videlicet, docuerim: Generalem debere esse inspectorem doctrinæ Catechisticæ, & Specialem etiam debere visitare ægrotos. Erat ne hoc tantum crimen? Nónne gauisus admodum, vbi me duriùs à Comite obiurgatum videres? Nónne, dum funera mea efferrentur, fraternæ dilectionis oblitus, ea deducere neglexisti? An non crimen ambiti Pastoratus mihi falsó affinxisti? Perpende quæso Heshusi, an non hîc etiam grauissimè pecces: Nam Papistæ certè neminem, propter doctrinam semel in Papisticis Synodis & Colloquijs Catholicam dijudicatam, excommunicant. Tu verò Comitem ob solam illius doctrinæ confessionem exclusisti, quæ legitima & Christiana, in Synodo Lutheranorũ VVormatiensi est dijudicata. Hinc Lector facilè potest perpendere, Papistas Heshusianis esse prudentiores.

CONTRA MELANTHONEM, ARGVMENTVM I.

PLurimi Pij contristati sunt Pagella Melanthonis: Ergo Pagella Melanthonis est hæretica. Respon. Nego Antecedens. Quia plurimi Pij gauisi sunt propter editam Pagellam Melanthonis. Nónne enim lætati sunt constantes Angli? Nónne lætitia perfusi sunt Embdani? Nónne gaudio exultarunt Heluetij? Nónne singulari gaudio affecti sunt Galli? Nónne plurimùm in vera fide confirmati sunt Pij Inferiores Germani? Nónne lætati sunt Bohemi, Poloni, Itali, & Hispani? Nónne exhilarati sunt Christiani captiui? Qui igitur sunt contristati? Forsan confusi Heshusiani: Fortassis duo viri Primates, Scriba & Mathematicus.

Quæ est quæso collatio, Paucorum hominum iustam confusionem, tanto tamque sancto tot piorum hominum præferre gaudio?

SECVNDVM.

MElanthon suam Pagellam nullis muniuit Argumentis: Ergo frustra Melanthon tentauit Electorem Palatinum in concepta confirmare opinione. Respon. Quid audio? Nunquid putas Electorem Palatinum, opinionem, & non potiùs Christianam fidem in pectore suo concepisse? Didicisti hoc à Scriba Heydelbergensi? Nunquid dubitas Electorem ante scriptam hanc Pagellam, in vera fide confirmatum fuisse? Nónne Pagellam Melanthonis solidis & è Scriptura depromptis argumentis, à Ioanne Caluino, Petro Martyre, & Bullingero antea munitam cogitasti? Fuit ne necesse, Melanthonem rem actam agere? ☞ Nónne parua Melanthonis Pagella à pluribus legitur, q̃ tuum magnum volumen? Nónne Cygnus ante obitum suauissimè canere dicitur? Melanthon vnum Argumentum proponit: Synaxin institutam propter hominem, non propter panem. Illud fortius est, q̃ omnes tui paralogismi, quibus impanationem probas.

TERTIVM.

PAgella Melanthonis est sordida, putida, nuda criminatio, audax, furiosa, blasphema, sacramentaria, impia, mendax, impudens, tenebrosi pectoris, occulta machinatio, per integrum annum (vt Oraculum Apollinis) occultata, & post mortem Authoris primò publicata: Ergo Pagella Melanthonis nullius est authoritatis. Resp. Nónne vereris Heshusi, ne Pij sint dicturi, Iudicium istud esse hominis sordidi, putidi, criminatoris, nasuti, audacis, furiosi, blasphemi, sacramentarij, impij, mendacis, impudentis, tenebrosi, occulti machinatoris, qui post obitum Melanthonis, tanquàm Oraculum Apollinis recens reuelatum, euomerit coli? Cur post mortem Authoris publicata sit Pagella, ab alio intelliges. Hæc Epitheta meliùs conueniunt tuo aceruo testimoniorum, in quo collegisti feces ex Veteribus, sicuti Tilemannus Bremensis collegit feces ex Recentibus. Stercoreo igitur tuo aceruo, oppono aureum aceruum Thomæ Cranueri.

QVARTVM.

PRiora scripta Melanthonis, multis in locis sunt contraria Pagellæ: Ergo Melanthon à Christiana fide ad hæresin defecit.

Digitized by Google

fecit. Reſponſio. Nego Conſequentiam. Quia cognito errore, meliori ſententiæ cedere, virtutis eſt. ☞ Nónne ab Auguſtino libri Retractationum ſcripti ſunt? ☞ Nónne item poſteriora ſcripta Martini Lutheri, prioribus ſuis ſcriptis quandoq; aduerſantur? Nónne Fideles in cognitione veritatis indies magis ac magis proficiunt. Nónne igitur contrarium verè concludi poteſt? Quòd videlicet, relicta hæreſi, Chriſtianam ſententiam complexus ſit Melanthon.

QVINTVM.

MElanthon interrogatus, An corpus Chriſti eſſet hîc ſubſtantialiter in Synaxi, reſpondit, De fructu docendos eſſe homines: Ergo Pagella Melanthonis eſt tergiuerſatrix.

Reſponſio. Ad Antecedens: Melanthon negauit Vbiquitatem corporis Chriſti: Ergò Categoricè & Negatiuè reſpondit ad quæſtionem. Eam corporis Chriſti præſentiam, quam tu cum tuis defendis, veram eſſe Melanthon negat. Et Canonem Nicenum tibi opponit. Commonefactio de fructu vtilis eſt. ☞ Multi enim hodie rixantur de præſentia corporis Chriſti, & à nulla re magis ſunt remoti, quàm à corpore Chriſti.

☞ Dixi in Germanica mea Confeſione: Corpus Chriſti in cœlo eſſe, & in Fidelium cordibus. Hinc nonnulli voluerunt inferre, me ſtatuere, quòd corpus Chriſti ſit in multis locis ſimul. Quam conſequentiam equidem nego. ☞ Quia non ſunt hodierno die multa corda fidelia. ☞ Deinde efficaciam corporis Chriſti in Fidelium cordibus eſſe, expoſui: Eſſentiam verò corporis Chriſti in cœlum aſcendiſſe, in cœlo eſſe, & ad extremum vſque Iudicium ibi permanſurum, ſatis apertè confeſſus ſum.

SEXTVM.

MElanthon idem ſentit cum VVilhelmo: Ergo Melanthon VVilhelmum non rectè appellat rixatorem.

Reſponſio. Contedo totum Argumentum: & gratias ago Collectori. Condono etiam Melanthoni. Non enim omninò abs re, me ſic ab eo appellatum fateri cogor. Tuis enim Heshuſi, tuorumque ſociorum laceſſitus iniurijs, me non ſemper, vt debueram, continere potui. Propter plurima illa tam magna, beneficia, quæ toti terrarum orbi, nec non Chriſtianæ Eccleſiæ Melanthon contulit, condonare ipſi debemus, etiam ſi grauiter ab ipſo eſſemus læſi. Id tamen confiteor, quòd primò illi offenſus fuerim. Cogitabam etenim, Cur Philippus Melanthon non

perſtringit Subſcribentes ac Proteſtantes potiùs? Cur non cogitauit ſe quoq; diu proditorem fuiſſe veritatis? Cur ſuam reſponſionem, ſine leſione famæ alterius, non propoſuit modeſtiùs? Cur audito ſolo Electore, me & Heshuſio non auditis, de noſtra dimiſsione pronunciat? Cur non perpendit, Heshuſium à ſe promotum in Doctorem? Cur non perpendit, ſe arma vtrique ſuis ſcriptis ad prælium (vti Concionatori Lubecenſi ſcripſi) ſuppeditare? Verùm, vbi rem exactiùs ponderaui, hæc ex animo omnia illi condonanda concluſi. Dum enim, præter alias innumeras, hanc vnam eius eximiam ac ineſtimabilem perpendo virtutem, quòd videlicet, neglecta ſua Authoritate, hoc exulcerato ſæculo, tam ingenuè veritatem cõfeſſus ſit, iniuriam illi ex cordis intimo ignoſco: ne alicui doctorum virorum obeſſe videar, quò minùs ipſe eandem Veri confeſsionis virtutem cum Melanthone amplexetur. Heshuſius eò in Melanthonem eſt acerbior, quòd ſuam (Ebero teſte) Authoritatem, Patrum ac etiam Recentium Doctorum Authoritati non prælatam videat, ac doleat.

SEPTIMVM.

EPhiphanius Origenem annumerat damnatorum numero: Ergo Pagella Melanthonis malè citat Origenem. Reſp. ☞ Bremenſes Originem primò oppoſuerunt Zuinglianis. 2. ☞ Heshuſius Heydelbergæ Originem oppoſuit Papiſtis, impugnantibus particulam Sola. 3. ☞ Lutherani omnes Origenem hactenus oppoſuerunt Anabaptiſtis. Philippus citat Origenem ſecundum quid, ☞ Si valet Origenes contra Papiſtas veteres, quare idem non valebit contra Papiſtas nouos? Vos agitis cum Origene, ſicuti cum Moyſe: Dum agitur de Hæreticis occidendis, producitis Moyſen: Cùm verò agitur de Imaginibus tollendis abrogatis Moyſen. ☞ Papiſtæ Origenem nunq̃ dixerũt Platonicũ Theologum. Imò ipſe Eraſmus magnifacit Origenem.

OCTAVVM.

PRofeſſores in Academijs ſibi volunt credi ſine cõtradictione: Ergo Profeſsores iam noui Papatus Tyrannidem erigunt. Reſpon. Quos putas Academias? Quos intelligis Profeſſores? Nónne teipſum perſtringis: Nónne citra omnem contradictionem cuncta tua dicta adorari voluiſti? Nónne ſubtilem hanc (☞ Per Chriſtum à Diabolo liberati quidem, ſed non redempti ſumus) diſtinctionem ſæpe protuliſti? Sed quid dicis de nouo Papatu? Eſt ne alius Papatus, præter hunc veſtrum Saxonicum, ac illum Romanum? Quis, & Vbi erit ille, quem dicis, ter-

cis, tertius Papatus? ☞ Est'ne Brunsuigæ? vbi illegitimè condemnatus dicitur Albertus. Vel, est'ne Londini? vbi Adrianus dicitur illegitimè condemnatus. Quis ex hisce tribus tandem erit optimus? Vnde sumemus tot sellas Papales. ☞ Rideat iam Romanus ille Pontifex ter Maximus, videns sese multoties à multis oppugnatum ac adhuc oppugnari, non tam ob Christianæ Apostolicæque doctrinæ, à se suisque prædecessoribus deprauatæ ac venenatæ, recuperationem, quàm (vt ex hoc Heshusij Argumento colligo) ob Papalem suam sellam, illo inde detruso, vel totam occupandam, vel saltem parte inde sublata, similem huic sibi construendam. Hinc nouus Papatus Saxonicus. Non dubito, quin Romæ probiores quidam Papæ sint veneno sublati, q̃ sunt Papæ Saxonici. Stultus ego admodum, qui hactenus nisi Vnum Papam esse putarim.

NONVM.

Heshusius semper impugnauit Artolatrian: Ergo Pagella Melanthonis est mendax. Resp. Quòd Artolatrian stabilieris, sic probo: 1. Heshusius docet humanam Christi naturam adorandam: Heshusius docet Panem esse humanam Christi naturam: Ergo, &c. 2. Quicunq; dicit in verbis Christi (Hoc est corpus meum) inusitatam esse prædicationem, ille hypostaticè coniungit pani corpus Christi. Atqui istud facit Heshusius: Ergo, &c. ☞ Verè igitur Melanthon scripsit Bordingo, quòd propter Artolatrian me excõmunicaueris. ☞ Et quia Melanthon censet, me illegitimè esse excommunicatum, viri prudentes facilè intelligunt, quo consilio me duriùs tractauerit Melanthon: vt sic videlicet, furorem Heshusianorum aliquo modo leniret. Hanc Consequentiam (Panis est essentiale Christi corpus: ergo Panis est adorandus) Papistæ probant.

DECIMVM.

Heshusius nunquàm stabiliuit Parricidia: Ergo pagella Melanthonis est mendax. Resp. Tu Heshusi doces, omnes hæreticos sæculari gladio occidendos: & Tigurinos asseris esse hæreticos. Nónne hinc flammas nobis incendis? ☞ Ottho Heinricus piæ memoriæ, & Dux VVirtenbergensis semel (vt audiui) interceſſerũt, pro Captiuis dimittendis apud Regem Galliæ. Quibus Rex respondit: Vestri Theologi hæreticos docent occidendos: docent item Captiuos meos esse hæreticos: cur igitur vos pro illis interceditis? Nónne hæc altiùs examinas Heshusi? Quare quæso contra Deum Paneum tot libri sunt conscripti?

Nónne

Nónne propter Deum Paneum (proh dolor) plurimi ſunt interfecti? ☞ Quare non corruit hic Deus Paneus? Quia vos ædificatis illi nouas Columnas. Quæ ſunt iſtæ Columnæ? ☞ Prima vocatur Corpus Chriſti in Pane. Secunda, Corpus Chriſti in manu Concionatoris. Tertia, Corpus Chriſti in polluto ore impij communicantis. Quarta verò, Corpus Chriſti in Iuda. Quinta denique nominatur, Panis eſt eſſentiale corpus Chriſti. ☞ Quare non corruunt & hæ Columnæ? Quia ſtabiliuntur ab Eccleſiæ huius Dei Panei Columnis. Quæ ſunt iſtæ Columnæ? Non audeo facilè iſtud dicere. Prima, Morlinus. Secunda, V Veſtphalus. Tertia, Paulus ab Eizen. Quarta, Chytreus. Quinta, Illyricus. In Superiori Germania etiam nuper Prouerbium natum eſt: ☞ Marbachius, der bachet es: Brentius, der brentlet es: Sulcerus, der ſulzet es. ☞ Multi libenter ex Babylone exirent: ſed quid ipſorum ſtudium impediat, audi: Primò enim venientes V Vormatiam, & non credentes Corpus Chriſti eſſe in manu Pulzij, accuſantur Sacramentarij. Venientes deinde V Veſaliam, & non confitentes, Iudam bibiſſe Sanguinem Ieſu Chriſti, pronunciantur Suermeri. Venientes autem Bremam, & non cum illis profitentes, In Pane eſſe Eſſentiale Chriſti corpus, appellantur Sectarij. Venientes præterea in Ciuitates Maritimas, & non confitentes, In polluto impiorum ore eſſe Chriſti corpus, dicuntur Zuingliani. Venientes vltimò ad Heshuſium, negantesque, Panem eſſe Eſſentiale Chriſti corpus, baptizantur Sacramentiperdæ. Nónne veritatem narro? Nónne hæ ſunt cauſæ, quò minùs q̃ plurimi ex Babylone tranſmigrent? Perpendite hæc, qui Eccleſijs, vt Hyperepiſcopi, præſidetis. Papiſtæ orant Magiſtratum, vt hæreticum citra læſionem membri puniat: Heshuſius Magiſtratui præſcribit pœnam gladij.

VNDECIMVM.

APoſtolus Paulus præcipit, vt vtamur forma ſanorum verborum: Ergo phraſis illa, Chriſtus ſubſtantialiter adeſt in Synaxi, eſt Cothurnus. Reſponſio. Quid audio? Sunt ne in Catecheſi Froſchelij etiam Cothurni? Quid tibi videtur Ebere? nónne & tu in tuo de Synaxi iudicio animaduertiſti Cothurnum? Vnde nobis tot Cothurni? reſp. Heshuſius habet ſaccum plenum Cothurnis. Quæ eſt igitur forma ſanorum verborum, qua Apoſtolus Paulus vtendum præcipit? Hæc ne? Corpus Chriſti eſt in Pane ſubſtantialiter, realiter, & definitiuè. Item: Corpus Chriſti editur corporaliter, dentaliter, gutturaliter, &

ter, & stomachaliter? Laudo tamen Heshusium, quòd tandem omnes Cothurnos explodat. Nam ita spero in exilium quoque pellendum aduerbium Apologeticum Substantialiter, quod causa mei exilij quoque est. Tunc memor huius ero versiculi:

At vindicta bonum, vita iucundius ipsa.

Doctiores Papistæ fatentur Phrases Melanthonis esse sanctiores, quàm sunt Heshusianæ. Heshusius inquit, Philippum in explicatione Pauli ad Cor inth. cap. 10. cothurnicè locutum.

DVODECIMVM.

HEshusius nunquàm statuit inclusionem corporis Christi in Pane: Ergo malè clausit diem extremum Melanthon.

Resp. Cur in volumine tuo dicis, quòd corpus Christi sit corporaliter, realiter, & definitiuè in Pane? Quare prætulisti illam Phrasin, In Pane? An non hoc est includere? Quare quæso, Melanthonem mortuum proscindis? Cur Christi corpus in cœlo non quæris? Nónne Melanthon habet & semper habebit gaudia æternæ quietis? Quid inquit Chrysostomus: Aquilis, & non Graculis instituta est Synaxis. Multi Papistæ cupiunt in eo esse cœlo, vbi iam viuit Melanthon.

DECIMVMTERTIVM.

PLus debemus Christo, quàm Præceptori: Ergo rectè facit Heshusius, quòd Melanthonis vmbram insectetur. Resp. Nego Consequentiam. Quia Melanthon à Christo te non abduxit. Doctorem Theologiæ te creauit: ac Hyperepiscopum Hyperepiscoporum te constituit. Exemplum virtutis tibi reliquit. Ab hæresi te auellere voluit. Tu verò ipsi iam defuncto loco gratitudinis maledicis. Sed quò tu, atque etiam alij ipsum magis proscindent, hòc magis ac magis ab alijs Pientissimis defendetur. Defensores habebit vmbra Melanthonis. Papistæ concedunt, duas has voces, Leib & Leichnam, esse Synonymas.

XIIII.

ILlustrissimi Principes Megalburgenses, & Dauid Chytræus, dissentiunt à Pagella Melanthonis: Ergo pagella Melanthonis est hæretica. Responsio. Nego Consequentiam. Principibus Illustrissimis Megalburgensibus consulo, vt legant Confessiones Martyrum, qui sunt in libro Adriani Hamestadij. ☞ Nam Martyres illi sunt Principes cœlestes, & Professores in Academia cœlesti. Legite rogo, & rem omnem intelligetis.

Chytreum autem rogo: vt quæ ipsius palatui non placent, alijs comedenda concedat, qui morbo Ictheri non sunt correpti.

Papistæ

Papistæ concedunt, dictione Carnis & Corporis idem significari. Papistæ quoque interrogati de Dogmatis, respondent Catagoricè, Affirmatiuè & Negatiuè. Professores verò iam præcipuarum etiam Academiarum, toties & à tot rogati, non cathegoricè respondent ad quinque quæstiones Concionatorum Bremensium: Sed satis se officio functos putant, si in vtranq; partem vacillantes, me & Heshusium rixatores vocent: Et interim dum vtroq; pede claudicant, totam Religionem, & seipsos deridendos proponunt.

CONTRA ECCLESIASTICOS SENATORES, ARGVM. I.

SEnatores Ecclesiastici non refutarunt magnum Volumen Heshusij: Ergo Senatores Ecclesiastici sunt superati, & Heshusius triumphat. Responsio: Nego Consequentiam. Nam tuus liber à me est refutatus. Senatores Ecclesiastici alia habent, quæ agant: possunt horas suas meliùs collocare. Fortassis librum tuum responsione indignum iudicant. Putas, quòd tam temerè velint fieri carnifices papyri? Nónne papyrus aliàs satis caro venditur pretio? ☞ Ecce inuerto: Heshusius nondum refutauit VVilhelmi Argumenta: Ergo VVilhelmus triumphat. Papistæ cœlum nunquàm vocarunt domum columbinam.

SECVNDVM.

SEnatores Ecclesiastici Electoris Palatini sunt Zuingliani, maledici, Aulici assentatores, Dei & Religionis derisores, pestes & præstigiatores, dolosi Consiliarij, & stulti, magnifici dictatores & matæologi, Ecebuli & Baucopanurgi, veritatis proditores & conculcatores, Sycophantæ & Italicis practicis instructi nebulones: Ergo mirabiles creaturæ sedent in Senatu Ecclesiastico Electoris Palatini. Respon. Mi Heshusi, Quum, quos meos dicis esse fratres, tibi tuisq; fratribus sanctitate minimè cor respondeant, tuum tuorumque fratrum est, ex tanto superuacaneæ sanctitatis vestræ acceruo, quædam saltem, dum non vis omnia, fratribus meis horum egentibus supererogare. Sed, cùm (vti ego ex hoc tuo scripto colligo) ijsdem tuos cum meis constringas conuitiorum cathenis, vereor ne & ipsorum lampades oleum desyderent. Quales autem simus, seipsum quisque consulat: quod si faceremus, certè in alios æquiores essemus iudices. Nihilominùs tamen Heshusi, credo, dum tu hoc Argumento talibus prodigiosis con-

Digitized by Google

sis conuitijs Senatores Ecclesiasticos contaminatos astruis, te te sa tis consuluisse, atque hæc tam egregia accidentia ex te, hoc est, ex vitijs tibi insitis selegisse: ita vt ipli optimo iure ac verè hæc omnia conuitia, si velint, in te retorquere possent: attamen spero illos prudentiores, atque, vel reos pœnitentiam acturos, vel innocentes vindictam Deo tributuros, decorum ducentes ab improbo improbari. Papistæ cœlum nunq̃ vocarunt domũ hirundinariam.

TERTIVM.

SEnatores Ecclesiastici expulerũt, præter Heshusium, quatuor Concionatores Lutheranos Tyrannicè, propter sanctæ doctrinæ constantem confessionem: Ergo Senatores Ecclesiastici Palatini sunt crudeles Tyranni. Resp. Nego Antecedens.

Isti voluerunt in agro Palatino turbulento modo seminare Sacramentariæ hæreseos semina: igitur profuit ipsos, tanquàm infœlices Agricolas dimitti. Illi anteà gauisi erant propter meam dimissionem: ego ipsos dimissos, & mihi comites adiunctos tamen non læto animo percipio. Sed mi Heshusi, quæ est illa collatio? Quatuor hominum benignam dimissionem, opponere mille Martyribus, qui tot tormenta ac flammas perpessi sunt? Memor sis Heshusi, quàm inclementer à tuis tractati sint nuper exules Angli. Papistæ cœlum nunquàm appellarunt carcerem.

QVARTVM.

STephanus Cirlerus est Nebulo, Italicis practicis instructus: Ergo falsò narrauit Melanthoni rei gestæ historiam. Resp. Ad Antecedens: Erras Heshusi. Vis scire, vnde Italicæ sint natæ practicæ? Exponam tibi dilucidissimè. ☞ 1. Vt Papatum tuum erigeres, mandatum publicari curasti, ne vlli Superattendenti Speciali esset potestas ministrum vel dimittendi vel recipiendi: Sed hoc totum tuæ Sanctitati, & tibi soli, vt Generali, deferri voluisti. Sed cùm contra hoc mandatum M. Theodoricus Artopœius homo doctus, à Superattendenti Crucinacensi, sine consilio Electoris & Consiliariorum, esset iniquè dimissus, factum istud approbasti: Quia Artopœius Confessionem Melanthonis defendebat ☞ 2. Quicquid agebant Speciales, non Cancellariæ ab illis, sed tibi soli, vt supremo Pontifici, volebas referri & indicari. 3. Res à Superattendentibus indicatas, solus, & non cum Collegio congregato, determinare voluisti. ☞ 4. Quoties Collegium ministrorum fuit congregatum, Papa supra Concilium esse voluisti. 4. Quoties ministri essent examinandi, solus Examinator, ac nos tantùm auditores & spectatores esse vo-

luisti? Quomodo Caluinum & Bullingerum depingeres, constituisti. 6. Cùm homo iuuenis esses, & nullius experientiæ, vnum Solœcismum post alium commisisti. 7. ☞ Quando Speciales à Cancelaria vocati, in vrbem venerunt, tu illos domum redire iussisti, & tibi soli omnem rem deferri voluisti. 8. Ebriosos tuos Concionatores, non in communi ebriosorum carcere, sed seorsim in in clementiori cubiculo custodiri voluisti. Tandem verò, postquàm Consiliarij vnam confusionem post aliam quotidie incidere viderent, commiseratione ducti, & pietate commoti, coacti sunt Ecclesiæ curam etiam suscipere. Et certè Heshusi meliores ac prudentiores erant Theologi, quàm nos omnes. Et si ipsi impedimento tibi non fuissent, tu cum tuis Paralitis cœlum & terram commiscuisses. ☞ Et cùm eo nomine tu illos vt Polypragmonicos accusares, Cirlerus Italicas tuas practicas, & occultas tuas machinationes omnes detexit, atque ita Papatum tuum Saxonicum destruxit. Et hinc, & hinc, Italicæ ortæ sunt practicæ.

Sed hæc fortasis non satis intelligis Heshusi, igitur clariùs tibi dicam. Dicebas semel Cirlero, Palatinos indignos esse tuo ministerio. Ad quod tibi tum respondit Cirlerus: VVen geleich Doctor Tielman nicht vver jn die Pfaltz kommen, so vvere daerumb die Pfaltz nicht vndergangen. ☞ Vnum omisi: Cùm Saxonicum tuum Papatum stabilire studeres, Magistros Saxonicos magnis pecunijs ab Electore vocari voluisti: ac viros Doctissimos Palatinæ regionis incolas, bene de Ecclesia meritos, & adhuc indies benemerentes, tanq; indoctos neglexisti. Magistri Saxonici alijs prælati fuerunt, quia illi erant Primogeniti. Reliqui omnes, tanq; gregarij milites vel Sacramentarij, sunt præteriti. Quare? Quia non erant de Primogenitura. Magistri verò VVittenbergenses magnis hisce Titulis Cancellariæ fuerant commendati. 1. Ecce hic est Syncerus. 2. Damnat Caluinum. 3. Nouit Locos cõmunes Philippi. 4. Examen didicit ad vnguem: huic numerate pecunias, Geldt her. ☞ Lanifex quidam octo dierum spatio memoriæ mandauit quæstiones examinis, is in vicino pago statim creatus est minister Ecclesiæ. Nam VVilhelmus ipsi quæstiones præscribebat: & ille iam etiam VVilhelmum potest vt hæreticum condemnare. In summa: Alles, vvess ein solcher VVeberknap sagt, das hat der Heyliger Geist geredet. Quare? Quia ordinatus est ab Heshusio, & nouit quæstiones examinis. VVittenbergenses Magistri creati sunt Superattendentes statim, etiamsi nunquàm fuerunt Diaconi. Quare? Quia erant

rant de primogenitura. ☞ Papiſtæ conſulunt, vt ſi quis velit fieri bonus Nauclerus, remigare priùs aſſueſcat.

QVINTVM.

HEshuſius à Zuinglianis Heydelbergæ pertractus fuit ad certamen Euchariſtiæ: Ergo Zuingliani ſunt Auctores turbæ Palatinæ. Reſp. Nego Antecedens, Condones mihi Heshuſi, vt quædam te interrogem. 1. ☞ Nonne tu Heshuſi, ſine conſilio & conſenſu Collegarum in ordinatione Eccleſiaſticorum miniſtrorum, vnius perſonæ publicam cõmunionem coram Eccleſiç congregatione ordinaſti? 2. Nonne & Latinas cantilenas, contra Pauli doctrinam, ſub adminiſtratione Cœnæ cani voluiſti? 3. Nonne Protonotario decumbenti cùm Synaxin porrigeres, in terram genua flectens procidiſti? ac contra Eccleſiæ conſuetudinem ſericum pannum tibi ſubſterni voluiſti? 4. Nonne etiam diſtribuendæ Synaxeos tempus ſine cauſa mutaſti? 5. In refutatione Bernhardi Herxameri, nonne audacter hæc ſingula poſuiſti? 1. Caluinus & Suenkfeldius de Synaxi idem ſentiunt, quod Suenkfeldius aperto ſcripto negat. 2. Caluinus ſentit, præter panem in Synaxi nihil accipi. 3. Impij manducant carnem Chriſti. 4. Auguſtana confeſsio docet ab impijs manducari carnem Chriſti? 5. Corpus Chriſti ſimul eſt in multis locis? 6. In eadem refutatione, nonne ipſius Zuinglij præter neceſsitatem, ſicuti Pontij Pilati in Credo, meminiſti? 7. Bona Zuinglij Argumenta, ab Herxamero nõ adducta tamen, nonne malitioſè conuellere voluiſti? 8. Nonne hoc pacto me, Dilerum, & alios ad certamen prouocaſti? 9. ☞ Nonne in eodem ſcripto, ſolas Ciuitates & Academias Saxonicas, in Catalogo Eccleſiarum Euangelicarum poſuiſti? 10. ☞ Nonne Tubingam, & alias quàm plurimas Superioris Germaniæ Eccleſias Euangelicas, ex cathalogo hoc omittere voluiſti? 11. Poſt abitum Flineri, nonne ipſemet Synaxin adminiſtrare voluiſti? 12. Nonne panes Euchariſtiæ à me numerari ſuperſtitioſè volùiſti? Nonne inſuper vinum reſidùum in cantharum reinfundere prohibuiſti? 13. ☞ Nonne panibus Euchariſtiæ numeratis abſumptis, verba Inſtitutionis, ſub Scholaſticorum cantu, denuò repetiſti? 14. ☞ Nonne verba inſtitutionis legens, faciem tuam ad altare conuertiſti? 15. Nonne ſcriptum meum hiſce de rebus Collegio miſſum, ſuppreſsiſti? 19. Nonne cõtra tenorem ordinationis Eccleſiç, Catecheſin Lutheri Catecheſi Brentij prætuliſti? 17. Nonne iuramentũ in Auguſtanam cõfeſsionem Stipendiarijs, qui eam

nunquàm legerant, iniungere voluiſti? 18. Nonne præter meritum, Stephanum Syluium, Zuinglianum ſimul & Papiſtam vocaſti? 19. Nonne Senatores Academiæ, Doctores triobolares ſuperbè nominaſti? 20. Nonne hominem blaſphemum ab Academiæ promotum, publicè coram plebe in ſuggeſtu, & ſtudioſis in cathedra dixiſti? 21. Nonne Tigurinos aſino ſex biblia in dorſo portanti, contuliſti? 22. Nonne, vt Academiam, Syluium, Tigurinos, & me defenderem, Brentium & Philippum Nicodemos vocaui: vt qui VVormatiæ noluerint Tigurinos condemnare inauditos? 23. Nonne omnes conuiuas Syluij, Senatores vrbis, & Scribam, participes Syluianæ impietatis dixiſti? 24. Nonne profecturus in patriam, propter hanc Academiæ, & Senatorũ vrbis Heydelbergenſis defenſionem, Tyrannicè meam famam lædere ſtuduiſti? 25. Nonne, contra Collegij electionem, ne contionem haberem, Papaliter impediſti? 26. Vicarius cùm eſſes, nonne contra Canonum ſtatuta, Vicarium tibi ſubſtituiſti? 27. Quare Vicariatum tuum Cancelariæ non reſignaſti? 28. Nonne hæc patienter me tuliſſe probè noſti? 29. Nonne te abſente, malè creatus tuus Vicarius, impientiſsimam de Synaxi concionem, & erroribus pleniſsimam habuit? 30. Nõne in eadem concione, vt virulenta Vipera, his, quæ ſequũtur, verbis me perſtringere voluit? Der Teuffel mit der eynen geſtalt, iſt itzunder (God lob) aus vnſer Kyrchen getryben: Itz kumpt aber eyn ander Teuffel, jn deſſer Kirchen, der ſubtiler jſt, vvelcher vns vvil den kern auſs dem Abentmael ſtelenn. 31 Nonne hiſce verbis ad fidei meę publicam, coram doctis in Schola, confeſsionem me prouocatum noſti? 32. Nonne poſt tuum è patria reditum, Mercurius à te ad hoc ſubornatus, ſcripto maledico diſputationem meam, à ſe anteà laudatam, oppugnauit? 33. Nonne meum, ad hoc ſcriptum, reſponſum contra datam fidem, perfidè tibi attulit? 34. Nonne & Gaſparus Epiſtolam à me ſibi ſcriptam, tibi communicauit? 35. Nonne hoc pacto ligna ad incendium comportarunt? 36. Nonne etiam M. Heinricus Scriba ciuitatis, primò ad diſputationem nouam me prouocauit? 37. Nonne etiam poſt reditum tuum, me tandem ad te vocaſti? 38. Nonne Theſes diſputatas, literas Gaſparo & Mercurio ſcriptas, ibi mihi videndas dediſti? 39. Nonne Theſes meas, vt hæreticas accuſaſti? nónne Palinodiam petiiſti? 40. Nonne poſteà falsò, te meas Theſes vt ambiguas tantùm reprehendiſſe, & declarationem ſaltem petiiſſe, Conſiliarijs retuliſti? 41. ☞ Nonne, cùm tota Academia dediſſet mihi poteſta-

tem

tem publicè legendi, ne quicquam legerem Tyrannicè mihi prohibuiſti? 42. Nonne ſcripta mea animo læto accepiſti? 43. Nonne toties à me rogatus, contra datam fidem, reſponſionem detrectaſti? 44. Nonne, etiam durantibus adhuc inducijs, nouo Diabolo me contuliſti? 45. Finitis verò inducijs, nonne fulmina & inſana tonitrua, ſicuti inſanus Catilina, in ſuggeſtu euomuiſti? 46. Nonne Arrio, & tali Diabolo, qui non modò regionem Palatinam, ſed, & totam Germaniam ſeducturus eſſet, Tyrannicè me contuliſti? 47. Nonne Arrianam à te foueri hæreſin, ac ſparſam etiam, à Iuſto Velſio Hagano conuictus fuiſti? 48. Nonne in eadem concione, Senatores vrbis Heydelbergenſis Ethnicis deteriores aſſeruiſti? 49. Nonne eodem die, vt ſponte, ſine conſilio Eccleſiæ, Calicis adminiſtrationem, propter viros duos præcipuos tibi traderem à me callidè poſtulaſti? 50. Acne cum prçcipuis illis duobus viris loquerer, nonne prohibuiſti? 51. Cùm calicis adminiſtrationem ſponte tibi tradere nollem, nonne Collegæ tuo imperaſti, vt violenta manu, coram Eccleſia, calicem mihi è manu eriperet? 52 Nonne ea de cauſa, calicem vtraq; manu fortiter tenui? 53. Nonne contionem Flinneri, habitam contra impudicum Epitaphium, condemnaſti? 54. Nonne hîc ſummus adulator fuiſti? 55. ☞ Nonne ſublatis Sanctorum imaginibus, in loco ſummi alteris recenter deſtructi, impudicas & Ethnicas imagines erexiſti? 56. Quum hoc tuum factum piè reprehenderem, nonne odij flammas contra me concepiſti? 57. Quando factum Collegæ tuç, qui ex cæmiterio ſibi hortum conſtruxit, reprehendiſti? 58. Poſt obitũ Michaëlis Hoferi, optimi & pij miniſtri, ne concionarer de Synaxi, nonne ſtudioſè cauiſti? 59. ☞ Nonne poſt obitum Paſtoris, Vicem paſtoris Vicario tuo, contra literas & tenorem vocationis meæ, dediſti? 60. Cumque hæc omnia patienti animo ferrem, nõne inſuper crimen ambiti paſtoratus falsò mihi affingere voluiſti? 61. Nonne omiſsis Pſalmis Dauidis, qui ſunt in libro Bonnenſi, ſolas cantilenas Lutheri cani voluiſti? 62. Poſt abitũ Flinneri, nonne Palatium Papæ Paradiſum, & primatum in Altari & Suggeſtu ambijſti? 63. Nonne propterea, & Iacobo Andreæ, & Lucæ Oſiandro cohabitauerim, Oſiandricum prima vice me traducere voluiſti? 64. Vbi hoc non ſucceſsit, nonne alia via tentando, Suermerum me auditoribus meis traducere voluiſti? 65. Nonne prior etiam prelo cõtra me in medium prodijſti? 66. Nonne aliquoties libellis Latinis Germanicisque ſcelerate famam meam contaminaſti? 67. Nonne anteq; quicquam excudiſti,

literis tuis mendacibus, coram viris Doctis & Magnatibus mendaciter me traduxisti? 68. ☞ Nonne Sacrificulos à Papistis ordinatos, legitimè ordinatos asseruisti? 69. Nonne absolutionem priuatam efficaciorem absolutione publica asseruisti? Papistæ illegitimè ordinatos docent, qui sunt ab Heshusianis ordinati.

SEXTVM.

DIllerus, Cirlerus, & alij instigarũt Klebitium promissionibus multis, vt effunderet suum virus: Ergo Dillerus, Cirlerus, & alij sunt Authores turbæ. Resp. Nego Antecedens. A Cirlero, & Christiano Probo non iussus modò, sed rogatus quoque fui, ne tertio Septembris die, tuis fallis contradicerem dogmatis. Atque eo nomine grauiter à me fuerunt offensi, quòd Apologiam non in aliud tempus distulerim. Aulicorum promissiones semper fumos Aulicos vocaui. Virulentus es certè Heshusi, qui tam virulenta in eos euomis mendacia, qui virus detestantur. Et etiamsi me fuissent adhortati ad refutationem tui falsi dogmatos, nunquid istud tantum esset crimen? Vixit mecum Ioannes Pedderus exul Anglus, à Theologis Bipontinis hæreticus declaratus: is Christianè de hoc mysterio me instituit. Cumq; viderem doctrinæ huius fontes esse ex literis sacris, etiam tunc, quando confiteri veritatem iussus sum, illam prodere nolui. Id Deus nouit, & amore propagandæ veritatis istud egerim, qualiter autem alij studium meum interpretentur, Deo omnium Iudici commendo. Papistæ cœlum nunc contulerunt Calecuttę.

SEPTIMVM.

DIllerus laborauit in assuendis Thesibus Klebitij, & Klebitium aluit in sinu suo in pernitiem Ecclesiæ: Ergo Dillerus est Author turbæ. Resp. Quid hoc sibi vult? Quare vis nunc Magistros in causam trahere? Nonne cum Baccalaureo incœpisti? ☞ Quare non primò cum Magistris egisti? Nonne cum Baccalaureo vis pergere? Putasti me planè esse mortuũ? Ad rem. Theses meæ sæpe tibi fuerunt exhibitæ, nondum à Dillero visæ. Solus item eas composuisti: tu verò ab alijs compositas metuisti? Dillerus me Christiana dogmata docuit, vt prodessem, & non vt obessem Ecclesiæ; Papistæ cœlum terra longè fatentur altius.

OCTAVVM.

THeologi nõ debent esse molles Adulatores: Ergo Klebitius non rectè vocatur contentiosus à suis fratribus Consiliarijs Ecclesiasticis. Resp. Concedo totum Argumentum. Gratias ago collectori. Fratribus meis condòno.

NO-

Digitized by Google

SEnatores Eccleſiaſt. obijciunt Heshuſio iudicium Melanthonis, ſicuti Autos epha: Ergo Senatores Eccleſiaſtici ſunt ridiculi Theologi. Reſp. Nego Antecedens. Reſtant alia tela. Argumentum inuerſum accipe: Heshuſius obijcit Klebitio iudicium Lutheri, veluti Autos epha: Ergo ridiculus Theologus eſt Heshuſius. Staphilus dixit verè, ꝙ Lutherani quidam Lutherum iactent; vt Autos epha. Papiſtæ concedunt cœlũ eſſe nomen loci.

DECIMVM.

DIllerus eiecit ſemel è Ducatu Neuburgenſi Cõcionatorem Zuinglianũ, & ſemel contra conſcientiam ſubſcripſit Heshuſio: ergo Dillerus non poteſt læto vultu aſpicere Pagellam Melanthonis. Reſp. Heus tu, Nonne tu Herxamerũ mendaci tua relatione, ꝙ originem humanæ Chriſti naturæ ex eſſentia Diuina ſentiret, è Palatinatu eieciſti? An nõ eundem errorem, tuũ de multiquitate corporis Chriſti dogma cfirmat? Nõne Flinnerus tuam confeſsionem improbauit? ac ſe à te diſſentire, te ſtimoniũ dari petijt? nonne bis contra ſuam conſcientiam tibi ſubſcripſiſt? cuius ita eũ puduit, vt priorem Heraxmero oſtendere nõ auſus fuerit. Nonne & Dillerũ ad proteſtationem propulit. Cùm Dillerus proteſtationem Cancelarię offerret, nõne Flinnerus ſuam perfidè reticuit? Quare hçc omittis Heshuſi? Vt Argentoratenſes tibi amicos ſerues. Salue vulpecula. Te cõpello Flinnere: Cùm reliqui adularentur Heshuſio, nõne ſolus fideliter tibi aſtiti? Huius ne meæ erga te fidelitatis oblitus? Quales contrarias meæ cõfeſsioni Heydelberganis ſcripſiſti literas? Rem priùs cognoſce, ac tũ iudica. Te cõpello Heshuſi: Nonne Pange lingua, Heydelbargæ à te damnatũ, Magdeburga canit? Nõne patriæ tuæ Paſto rem ob incenſas candelas culpaſti, quas alibi incenſas approbaſti? Nonne falſas, tanq̃ à me ſcriptas, de cantilenis literas Cancelariæ obtuliſti? Nonne auara manu multũ pecuniæ ex ciſta Academiæ ſumpſiſti? Nõne hac auara manu te corpus Chriſti tenere dixiſti? Nonne Anglos vt hçreticos traduxiſti? Nõne Magdeburgici Corpus Eccleſiaſt. Hiſtoriæ, Sereniſs. Angliæ Reginæ Eliſabetæ dedicantes, illam, quam tu hæreticam, Chriſtianiſsimam ſalutant? Nõne Comitem à te excõmunicatum, mendax coram Electore negaſti? O Dillere, ô Agricola, nonne hoc futurum prædixi vobis? Et vt ab illa proteſtatione abſtineretis, nonne ſedulo vos cõmonui? Conuertimini, & nolite peccare ampliùs. Nonne coram facie Dei iam confuſi eſtis? Nõne contra Deũ miſeriam meam auxiſtis?

Papiſtæ

Papistæ non docent, corpus Christi esse in Pane ante consecrationem, sicuti asserit Ioannes Brentius.

VNDECIMVM.

Ecclesiastici Senatores idem sentiunt cum VVilhelmo Klebitio: Ergo non debuit ab ijs dimitti Klebitius. Resp.

Cùm vtrique hora quarta pomeridiana, die decimo sexto, mense Septembri, Anno 59. dimitteremur, Senatores Ecclesiast, nondum erant creati: quomodo igitur ab illis me dimissum narras?

Erastus scripsit Pastori Groningano, quòd Senatores Ecclesiastici me petierint restitui. At Heshusi, nimis serò disputamus, an legitimè simus dimissi. Iam enim breui biennium erit, & dimissi sumus. Quare non tunc statim ea de re disputasti? Quare non dixisti, sine consensu Academiæ, à solo Principe Professorem non posse dimitti? Quare non dixisti, totius esse Ecclesiæ, ministrum dimittere? ☞ Quare tam auara manu dimidij anni salarium tam subitò apprehendisti? ☞ Nõne hoc ipso dimissionem tuam approbasti? Quare doles Heshusi? Quòd ex Generali Hyperepiscopo seu Metropolitano, iam vnius solius Imperialis Ciuitatis Pastor tantùm factus sis? Patienter feras sortem tuam. Nam ego Piorum in Babylone nutrior eleemosynis. Bono sis animo, fœlix erit Fabulæ exitus. ☞ Serò etiam disputamus iam, vter turbæ huius sit author: pro viribus potiùs enitamur, vt incendium hoc aquis saluberrimis ac è fonte viua depromptis, extinguamus.

Papistæ non consecrant bis panem Eucharistiæ.

DVODECIMVM.

Senatores Ecclesiastici instigarunt Klebitium ad certamen, & nunc ipsum crudeli exilio puniunt: Ergo non immeritò de ipsorum perfidia conqueritur Klebitius. Responsio:

Me ab illis, neque instigatũ, neque dimissum fateor ingenuè. Quòd autem dè nonnullis conquestus fuerim, hæ sunt causæ. 1. Cùm Heshusius, post suum è patria reditum, mihi prohiberet ne publicè legerem, Academiæ Senatoribus hæc capita proponere volui. 1. An Theses meæ tum temporis, quum publicè essent disputatæ, ab ipsis essent approbatæ, nec ne. 2. An adhuc eas approbarent. 3. An in exhibita declaratione aliquid esset, quod Thesibus approbatis, & publicæ earũ declarationi aduersaretur. 2. Theses erant consensu Erasti disputatæ, & ab ipso approbatæ: Ideoque metuit, ne pertraheretur in hanc causam. Eaque de causa omnibus modis dissuasit, ne hæc capita Academiæ Senatoribus proponerem. 3. Cùm viderent Erastus, Boquinus, & alij, rem spectare

ſpectare ad publicam turbam, mirabar, quòd non citiùs ſeſe interpoſuerint. Alij putabant, quòd ſtudioſe Heshuſium eò ſiuiſſent progredi, vt haberent anſam expellendi ipſum. 4. Pantaleonvenit Heydelbergam, poſt habitam diſputationem, ac diſputationi non interfuit, neq; mecum de hac re contulit. Ideoq; vitio dabatur ipſi, quòd me inaudito, ſeſe vt partialem Heshuſio coniunxerit. 5. Cùm eſſem dimiſſus, Ehemius nomine Magiſtri Aulæ, ſpeciem quandam dimiſionis tantùm eſſe inquit, ac quietè reſtitutionem me ſperare iubet. 6. Dimiſſo Heshuſio, Eraſtus & Pantaleon fiunt intimi amici. 7. Cótracta hac amicitia, Eraſtus mihi conſulit, vt ſupplex fiam Pantaleoni, & vt petam peccati remiſsionem ab eo, à quo ipſe maximè eram læſus. 8. Quod cùm facere nollem, Eraſtus tenacem vindictæ me proclamat, reliquos Conſiliarios à me alienat: meq; reprehender incipit, quòd non maturè alibi cõditionem petierim. 9. A Comite Georgio Erbacenſi petieram, vt mihi, ſi qua ſit ſpes reſtitutionis, ſignificaret. Is ingenuè, nullam eſſe, nec etiam alterius conditionis mihi idoneæ iam temporis in Palatinatu, confeſſus eſt: meq; vana ſpe ab alijs lactatum indicat. 10. Vbi ſenſi Eraſtum mihi impoſuiſſe, prędicta capitæ Senatui Academiæ propono, & myſteria quędam reuelo. 11. Propter hanc Academiæ conſultationem, ſeditionis me inſimulat Eraſtus, & minus viatici me accepturum minatur. 12. Hoc tempore Thuringus Eraſti commenſalis, Tigurum proficiſcitur: quam rem clam me habuit Eraſtus, ne videlicet Tigurinis ſcriberem. Erant enim Tigurini mihi pollicti locum, ſi non ſuccederet interceſsio. 13. Poſt abitum Turingi, veniunt mihi literæ à Bullingero, in quibus ipſe cupit reddi certior de euentu & effectu interceſsionis. 14. Lectis hiſce literis profectus ſum Francofordiam. Ibidem alter Eraſti commenſalis, me ſubſecutus, hoſpiti meo narrat, me moliri ſcriptum contra Electorem, atque ideò ab Academiæ Senatoribus mihi conditionem denegatam. 15. Finitis nundinis, redit Thuringus Tiguro, mihiq; ſignificat, Bullingerum dixiſſe, me difficulter apud Tigurinos habiturũ locum. Quid hinc ſit colligendum, docti intelligunt. 16. Alter commenſalis inquit, me Francofordiæ ſparſiſſe rumorem, Muſculum ab Electore vocari. 17. Rediens Heydelbergam, Bibliopolæ Joſiæ Zimmerman Theſes impreſſas vendendas dedi. 18. Joſiæ huic dicit Gaſparus Neſerus, Typographum, Venditorem, & Autorem Theſium debere virgis cedi. 19. Gaſparum accuſaui; & libellum Dillero Senatoribus Eccleſiaſticis offerendum dedi.

G. Cùm

20. Quum libellum Dillerus illis non subitò offerret, ipsi etiam Electori supplicationem obtuli, in qua mihi, vsque ad causæ cognitionem, sustentationem necessariam dari petiui: in eaque narraui, primò, me propter Academiæ defensionem venisse in periculum hoc: Secundò, Turingos & alios bonos viros pro me intercessisse: Tertiò, Copiosa prole me oneratum esse: Quartò, Pendente lite me nullibi in vicinia posse conditionem aliquam nanciſci, & propter inopiam me longiùs cum coniuge ac liberis proficiſci non posse: Quintò, Doctrinam meam sigillo Facultatis & Vniuersitatis obsignatam: Sextò, Nullius criminis me in vita esse accusatum: Septimò, Alijs Collegis maiora clementiam Electoris condonasse, ideoq; & mihi condonari petij, si quid in modo certaminis peccassem: Octauò, Mysteria quædam reuelaui. 1. de Subscribentibus. 2. de Crucifigentibus. 3. Prædixi à Tilemanno Concionatores Heydelbergenses omnes posse confundi. Atque hîc in maximis angustijs fui: Supplicatio erat Electori exhibita, Accusatio contra Gasparum erat Dillero data. Et propter consultationem Academiæ, omnes Senatores erant cõtra me concitati. Cùm in his essem consternatus angustijs, Erasti commensalis, vt Iudas, mihi suadet, vt singulis mittam supplicem schedam, in primis Erasto & Pantaleoni, & vt deprecer culpam, & omnia ipsorum consilia laudem. Atque hîc mole periculi, & infirmitate naturæ superatus, Erasto & Pantaleoni in primis schedas supplices misi. ☞ Eaque in re maximum peccatum commisi, quòd maximos veritatis proditores indignis titulis honorarim: Idq; contra conscientiam meam egi, ac ideò infœliciter res mihi succesſit. quia Pantaleon & Erastus insuper postea mihi illuserunt.

Missis his schedis, statim Dillerus Principis ad meam supplicationem responsum, mihi narrat, hoc modo videlicet. Primò, Me semel Electori silentium iubenti, non obsecutum, ac mandatum eius transgressum esse. Secundò, Electorem non posse esse personarum respectorem: Nam id sibi vitio daturos alios Germaniæ Principes. Tertiò, Tiguinis Electorem non tribuere, quòd sint boni. Quartò, Intra 14. dierum spatium domum successori concederem. Non plus dixit Dillerus. Accepto hoc responso, gratias egi Electori, mandati transgressorem me esse negaui, sed reprehensorem potiùs me transgressoris ostendi. Eodem die Dillerus alteram meam contra Gasparum accusationem Senatoribus Ecclesiasticis proponit. Hi vocant me: ac vbi comparui, Pantaleon ait, Accusatio hæc non pertinet ad Ecclesiast. Senatum, Erastus ambitio-

bitionis me accusat: & cùm anteà ab omnibus Tigurinus vocatus essem, is Theses meas Tigurinis aduersari ait. Cirlerus homo ingenuus, ab accusatione me absoluit, inquiens: Tu omnia voluisti agere Heluetic è, Heshusius omnia Saxonic è. Dillerus verba Gaspari extenuat, & viaticum absolutionis loco mihi pollicetur. Ehemus causam meam bonam esse fatetur. Cumq; discedere vellem, Eraſtus contra meam & coniugis meæ voluntatem, sororem coniugis ex suis ædibus mihi non vult concedere, quam me absente & inscio ad se recepit, paruulos verò liberos, qui panem lucrari nequeunt, grauidæ vxori, quæ sororis auxilio maximè indigebat, vnà in exilium sequendos reliquit. Exulem poste à me in Frisia literis suis persequi studuit. 1. In illis iactat, quòd dimidij anni salarium mihi impetrarit, & quòd ex sacculo Electoris viaticum mihi numerarit. 2. ☞ Mihi obijcit, quòd contra consilium bonorum virorum, alteram coniugis meæ sororem, impostori dederim in vxorem: Dum tamen ipse Eraſtus nullum honestum, aut inhonestum etiam virum, qui mihi hoc dissuaserit, monstrare potest: Imò ipsemet Eraſtus impostorem illum priùs scripsit in honesto studiosorum catalogo. 3. Vbi Eraſtus intellexit, neminem ciuium virginem illam vxoris meæ sororem, ipso inuito ad se recipere audere, quærit ex me, quare ei non persuadeam, vt egrediatur è domo ipsius. 4. Obijcit mihi vagum motum, cuius tamen se causam esse optimè nouit. 5. Propter meæ personæ defensionem, sese optimorum virorum odium in se deriuasse inquit. 6. Quòd publicam cum Magistro Stosselio disputationem habere voluerit, iactat. 7. Singularia quædam in meis se damnare Thesibus dicit, quæ autem illa sint, omittit. 8. Indoctum, barbarum, malum, & ambitiosum me depingit, propter simplicem & mordacem veritatis sermonem: ac multa insuper alia falsa in me conspergit. Atque Eraſte, hæc omnia ex animo tibi condono. Vnum saltem peto, vt barbaro & indocto mihi Klebitio dicere digneris, quæ sint illa singularia, quæ in meis Thesibus damnas? 1. Peto vt dicas mihi, quæ Theses aduersentur Thesibus disputatis, & publicæ meæ Thesium expositioni? 2. Quare tuum de meis Thesibus iudicium, mihi antequàm eas excuderem curaui, non communicasti. Nam istud à te petieram: Tu verò quare declinasti? ☞ Dicam tibi totam rem Eraſte, Studuisti nebulonem declaratum Pantaleonem, tanquàm bonũ virum tueri, & similis ipsi euasisti: Ideoque indignus dijudicatus es, qui de hoc sacro mysterio cum Theologis disputares. Ex offensione

Erasti id insuper metuendum habeo, quòd etiam alibi in Germania apud bonos Principes mihi locus facilè non sit futurus. Vven mich das Erdtrich nicht mer mach, so vvolle mir God den Himmel offnen. 25. Vbi Erastus suis mihi consilijs imposuit, posteà quòd bona consilia contempserim, insuper me accusat. 26. Cùm propter Heluetiæ gentis defensionem iustissimam, in periculum veniissem, nihil me magis commouit, q̃ quòd tres degeneres Heluetij, Rusticus, Erastus & Turingus summi mei proditores fuerint. Verùm Christo exeremo Iudici hæc omnia committo. Singulis condono, mihiq; ab alijs condonari peto. 27. Stetit Erastus cum alijs me præliante post principia, & fuerant spectatores certaminis, posteà vbi erat mihi victoriæ dandum præmium, præ alijs Erastus me, vt hominem inquietũ accusat. ☞ Papistæ non damnant illum hæreseos, cuius doctrinam semel vt veram obsignarunt.

CONTRA KLEBITIVM
ARGVMENTVM PRIMVM.

KLebitius virus euomuit in suggestu: Ergo Klebitius est author turbæ. Resp. Nego Antecedens. Nullum virus euomui: Sed virus tuum repressi. Nonne solidè demonstraui, primò, Christi corpus non esse in pane? Secundò, Corpus Christi non esse in manu ministri? Tertiò, Corpus Christi non esse in polluto impij communicantis ore? Quartò, Corpus Christi non esse in Iuda & illius fratribus? Quintò, Panem non esse essentiale Christi corpus? Nonne dicis me idem sentire cum Caluino & Melanthone? Est ne Melanthonis confessio tam virulenta? Nonne me simul & accusas & absoluis Heshusi? Dicis, quòd docuerim, in Synaxi præter panem nihil accipi. Et posteà inquis, quòd docuerim, Spiritualiter à nobis Christi carnem manducari. Nonne me vicissim absoluis? nonne Papistæ hunc actorem rident?

SECVNDVM.

KLebitius primò rem in suggestu mouit: Ergo Klebitius est author turbæ. Resp. Nego Antecedens. 1. Nonne frater tuus Pantaleon, omnes suas conciones contra habitam à me disputationem direxit? 2. Nonne singulis diebus Saturni conciones de Synaxi à Collegis tuis contra meam disputationem fuerunt habitæ? 3. Nonne sæpius Pantaleon, Cœlum sanctissimum Dei palatium, Calecutæ insulæ contulit? 4. Nonne reliqui tui

qui tui collegæ cœlum sæpe carceri, & nido columbino seu hirundinario compararunt? 5. Nonne vltra dimidij anni spatium, hæreseos maculam per totam vrbem contra me falsò sparsam, patienter tuli? 6. Nonne tandem inuectiua tua illos subsecuta est concio? 7. Nonne, priusquàm Apologiam instituì, te coram Consiliarijs Electoris rogaui, vt capita accusationis mihi scripta dares? 8. Nonne propter Ecclesiæ vtilitatem, publicis tuis iniurijs, priuato tantùm scripto respondere volui? 9. Nonne contra datam fidem, capita accusationis scripta mihi dare renuisti? 10. Nonne per inuectiuam cõcionem, omnium hominum animos contra me concitasti? 11. Nonne hisce de causis me ad Apologeticam cõcionem prouocatum probè nosti? 12. Vnum addam: Cùm die nono Septembris te interrogaret Elector, quod nam tuum Thema esset, respondisti: Nisi quis renatus ex aqua & Spiritu, &c, Ioan. 6. Elector tum ait: ☞ Credo Heshusium esse Papistam, qui aquam & vinum velit commiscere. Quibus verbis falsè notauit, tibi non fuisse ansam de Synaxi docendi.

TERTIVM.

KLebitius honore Baccalaureatus nouo fuit elatus: Ergo Klebitius est author turbæ. Resp. Nego Antecedens. Gradum enim hunc petij, non propter honorem, sed quinque hisce de causis. 1. Vt ederem confessionem meæ fidei. Quia publicè hæreseos macula mihi fuit aspersa. 2. Vt magis incorporarer Academiæ. 3. Vt Academiæ magis vnitus, plus ab ea defensionis contra tuam Tyrannidem haberem. 4. Vt esset mihi exercitium legendi publicè. 5. Vt contra te munitus essem sigillo facultatis tuæ. Hîc quæro ex te: Quare tuus Vicarius non venit ad disputationem? Quare non attulit argumenta contra meas Theses? Quare inuidetis mihi Baccalaureatum? Nunquid ego vobis inuideo Magisterium, Licentiam, aut Doctoratum? ☞ Summus inquisitor prauitatis hæreticæ Traiectensis inquit, Christi corpus tantùm in cœlo esse corporaliter.

QVARTVM.

PVblicè docuit Klebitius, præter panem in Synaxi nihil accipi: Ergo oportuit Heshusium Klebitio contradicere. Resp. Nego Antecedens. Quia dicis Heshusi, me, Melanthonem, & Boquinum idem sentire. Nonne igitur ipsemet me absoluis? Potest ne melior absolutio mihi dari? ☞ Narras prætereà, quòd docuerim, à nobis spiritualiter Christi carnem manducari. Nonne hîc denuò ab accusatione me liberum pronuncias? Rogo Pa-

latinos Consiliarios, vt concionem à me habitam publicent, & Ecclesiæ videndam exhibeant. Etenim scripsi eam antequàm habui, & postquàm habui, scriptam Electori exhibui. Paulus Eberus mendacij accusat Heshusium. Quin etiam ipsi Papistæ fatentur, duo contradictoria non posse simul esse vera.

QVINTVM.

KLebitius disputauit de Synaxi absente Heshusio: Ergo Klebitius est author turbæ: vel, Ergo Klebitius est similis Carolostadio, & Heshusius similis absenti Luthero.

Responsio: Nego Consequentiam. Melior erat causa Lutheri, quàm Carolostadij 1. Priusquàm in patriam proficiscereris, nonne mihi minitabaris, te tuum post reditum ab officio me amoturum? 2. Nonne iam profecturus Boquino ius Decanatus dedisti? 3. Nonne consensu Vicedecani, Rectoris, & Magistri Aulæ, Baccalaureum me fuisse creatum probè nosti? 4. ☞ Quare post tuum è patria reditum, ipsi Præsidi disputationis meæ bellum non indixisti? 5. ☞ Quare neglecto publico ministerio tempore Paschatis, vbi plurimę habendæ sunt conciones, propter priuatum tuum lucrum, in patriam profectus fuisti? 6. ☞ Nonne Ecclesiam tum temporis, necessarijs Ministris quàm plurimis fuisse spoliatam probè nosti? 7. ☞ Nonne Flinnerum, per tuam adulationem expulsum, ab Electore huc reuocari sensisti? 8. ☞ Nonne, num reuersurus ille esset, nec ne, absens spectator esse voluisti? 9. Quare quæso, tam diu in patriam remansisti? 10. ☞ Nonne te absente, pro Theologiæ gradu supremo, disputauit Vnicornius quoque? 11. ☞ Nonne is publicè, propter Pelagianam hæresin, à D. Iacobo Sagittario obiurgatus est? Nonne hæc publicè ab Vnicornio sunt prolata: Gratia Dei non totaliter, sed tantùm principaliter causa est nostræ conuersionis? 12. ☞ Nonne & tu hanc disputationem post reditum tuum approbasti? 13. ☞ Nonne te absente, publica disputatione Franciscus Balduinus obtinuit, Non occidendos esse hæreticos? 14. ☞ Nonne Theses Balduini erant impressæ, quum meæ tantùm essent scriptæ? 15 Quare & huic te non opposuisti Leoni? 16. ☞ Quare post tuum è patria reditum Heshusi, publicam coram studiosis ac doctis disputationem contra me non instituisti? 17. Quare item non scriptis de hac re mecum egisti? 18. ☞ Quare insuper coram Ecclesiæ ministris hanc rem non composuisti? 19. ☞ Quare prætereà huius rei causa Superattendentes non conuocasti? 20. ☞ Quare de-

re deniq; periculosè coram rudi plebe, quàm consultè coram doctis hanc rem tractare maluisti?

Papistæ non probant aulicas picturas in veste Concionatoris.

SEXTVM.

HEshusius est incitatus à suis Collegis, vt Klebitianæ disputationi bellum indiceret: Ergo Klebitius est author turbæ. Responsio, Nego Consequentiam. Contrarium sequitur: nimirum, quòd inflammatores & inflammatus sint authores turbæ. Heshusiani habent plures domos erraticas Sacramentarias, quàm Papistæ.

SEPTIMVM.

VVilhelmus Klebitius petijt sibi aduersarium dari: Ergo VVilhelmus Klebitius est author turbæ. Responsio. Non opus erat mihi vllum aduersarium petere: Erant mihi mille pro vno. ☞ Papistæ panes Eucharistiæ in munda proponunt pixide.

OCTAVVM.

VVilhelmus est Coqui Nomitzij filius, & Pater ipsius vocatur Kleynvvitzius: Ergo VVilhelmus est author turbæ. Responsio. Patria mea non Nomitz, sed Namitz nominatur. Pater meus nunquàm dictus est Kleinvvitzius: Sed sicuti Germani vtrunque dicunt, Tubingen & Tuvvingen, sic & Klebitz & Klevvitz dicitur. Verum dicis, q; pater meus fuerit Coquus. Sed nonne Coqui etiam sunt homines? Nonne Cocos bonos amant Reges ac Principes? ☞ Cur non dicis, quòd duo fratres mei, Bernhardus & Martinus, Coqui sint apud Principes Anhaldinos? ☞ Quis & qualis meus Pater fuerit, contra te publicè attestatus est Senatus Brandeburgicus. Quare ex Chytreo vna vice non fabricas Kochhasium. Nam inter Coquos & Ollas magna est affinitas. Atqui certè Heshusi, ego iniquo non fero animo, quòd me appelles Kleinvvitzium. Sis tu Doctor Grosvvitzius. Nam vixdum sum tecum ingressus annum trigesimum tertium, sed nondum viginti octo me superasse puto annos: sufficit igitur mihi, quòd sim Baccalaureus Kleinvvitzius. Sed heus Domine Doctor Grosvvitzie, quanti vendis libram sapientiæ tuæ? Eodem modo etiam Consul Bremensis à te vocatus est Suermerus Baurensis. Heshusius enim solus est Ciuilis. Attamen à Cancellario quodam nuper est vocatus Tolmannus Gekhusius. Olim vnus tantùm Papa, pedes suos à Principibus osculari voluit,

NO-

NONVM.

Concionatores Heydelbergenſes inflammarunt Heshuſium contra Klebitium, & iam contra conſcientiam colludunt cum Caluiniſtis: Ergo Concionatores Heydelbergenſes ſunt nebulones. Reſp. Quid hîc audio? Sunt ne fratres tui colluſores & nebulones? Eſt ne tuus Compater etiam vnus ex illis colluſoribus? Sunt ne ex tuis fratribus facti fratres mei? Quis ditior Klebitio? Quot fratres habet Klebitius? Saluete fratres. Tu Pantaleon, Tu Gaſpare, eſtis etiam fratres Klebitij? Domine Gaſpare, quid tibi videtur de libro Tilemanni? Cenſes ne Tilemannum, Typographum, & Venditorem, virgis cedendos eſſe? Vos inflammatores, velletis ne bonum Heshuſium à vobis inflammatum, virgis cedere? Nonne vos digniores virgis eſſetis? At Heshuſi, dicis fratres tuos colluſores, meos vocas adulatores, & me appellas peſtem. Quis igitur probus erit vir? num ſolus Heshuſius? Domine Heshuſi, quanti vendis opera ſupererogationis? O prudentiſsimam Virginem, quæ tantum habet olei. Papiſtæ cum alba veſte retinent veſtitum ſericum: Heshuſiani abiecto ſerico veſtitu induunt veſtem albam.

DECIMVM.

VVilhelmus miſit Heshuſio plurima ſcripta: Ergo VVilhelmus eſt author turbæ. Reſp. Nego Conſequentiam.

Priusq̃ vllum ſcriptum miſi, hæreſeos à te ſui accuſatus: igitur prouocatus, vt me purgarem, ſcripta miſi. Nam appellatione mea ad facultatem contentus non fuiſti. Eccleſiæ quoq; te me indicaturũ minatus fuiſti. Ab hoc propoſito meis te retrahere ſcriptis volui. Sed audi: Nonne ſcripta mea lætus accepiſti? Nonne te libenter ſcripta mea viſurum, per Compatrem & Ruſticum ſignificaſti? Nonne ineptè per eoſdem nuncios ſignificaſti, te declarationem meam libenter lecturum? Nonne per eoſdem, ante viſam tibi declarationem, vt ab errore deſiſterem, ſimul monuiſti? Quare ſcriptis acceptis non reſpondiſti? Quare accepta ſcripta non remiſiſti? Nonne totum latus meum tibi aperui? Quare me non confodiſti? Quare ſcripta mea mutilata exteris miſiſti? Quare fragmenta tantùm peregrinis videnda dediſti? Nonne mihi expediebat ſcriptis potiùs, q̃ ſine teſtibus ore tecum loqui? Nonne ſemel in altero conclaui, cùm ſolus tecum loquerer, te cũ auditorem ſubornaſti? Nonne declarationis gratia plura ſcripta miſi? Nonne per ſcripta illa vitare logomachias in reſponſione tua volui? Nonne hanc cõtroverſiam dilucidiorem reddere ſtu-

dui?

dui? Nonne quandoq; falsò mihi obiecisti, me loqui non audere, quod sentirem? Nonne crebris meis scriptis te alacriorem reddere volui? An non in quibusdam literis tantùm responsionem petij? Nonne reporem tuum excutere volui? ☞ Nunquid priuatis his scriptis Ecclesiam offendi? Nonne mea scripta per menses aliquot habuisti? Nonne responsum paratum alijs ostendisti? Quare mihi non misisti? ☞ Nonne, ne Bullingero mitterem timuisti? Nonne consciò Eoquino, primam declarationem tibi & Mercurio misi? Nonne etiam primam declarationem priùs Vicerectori exhibui? Nunquid Præses disputationis meæ exhibitam declarationem à te vnq; repetijt? Nunquid Rector Academiæ sibi eam reddi vnq; postulauit? Nunquid scripta declaratio ex publica declaratione desumpta fuit? Nonne publica declaratio cum Thesibus approbata fuit? An non ob consensum Assumentis & Præsidis, omnes admirati sunt auditores? Sinò approbata ab Academia declaratio, quare me coronauit? Nonne D. Syluius, ante promotionem meam, eandem causam defendit? Nonne is contra tuam voluntatem ab Academia coronatus fuit? ☞ Quare igitur Academiæ Proceres, Heshusij causam tueri vultis? Quare Eraste & Eoquine, ita vos extrahere voluistis? Sed quid vis agere literis meis Heshusi? Vis'ne inde flabellum conficere? Vis'ne muscas abigere? Vis'ne imprimere? Vis'ne me indoctum conuincere? Quare quæso vis papyri nouus fieri carnifex? Mi Heshusi, non quæritur vter è nobis sit doctior: sed vter de hac causa melius sentiat, atque id Heshusi, ex scriptis anteà editis manifestum est. ☞ Qui fit quæso, quòd tantus Doctor, tot armatus Magistris, cum Baccalaureo scriptis non ausus fuerit in arenam descendere? Nonne ridebaris, cùm integrum mearum literarum fasciculum Electori semel ostenderes? Ecce hic flabellum.

Papistæ non deserunt victorem, quem ad prælium armarunt.

VNDECIMVM.

THeses Klebitij non sunt eruditè conscriptæ: Ergo Klebitius est author turbæ. Resp. Nego Consequentiam. Nam, ℘ Theses meæ minùs fuerint excultæ, tua culpa euenit. Tibi nanque vt erudito Doctori missas, quare non correxisti? Cur auditoris tui Theses non emendasti? an non lectiones tuas sedulò satis frequentaui? Satis mihi est Heshusi, ℘ non sint impiæ ac Blasphemæ. Anteq; imprimerentur, Erasto corrigendas misi: verùm is occupatior fuit. Videndas item D. Oliuario misi: & is non remisit, Dedi præterea eas Senatoribus Academiæ videndas, ro-

H. gauiq;

gauiq; vt Theologis inlungerent, vt mihi suam censuram cõmunicarent: verùm nec hoc impetrare potui. Vbi fuerunt excusæ, priusq; distraxi, Rectori, ac Senatoribus Ecclesiast. videndas dedi. Papistæ rogati suis Auditoribus censuram scriptorũ cõmunicant.

DVODECIMVM.

THeses Klebitij fuerunt ambiguæ: Ergo Klebitius est autor turbæ. Responsio: Ad Antecedens.

Oculatis meæ Theses satis fuerunt perspicuæ, Cæcis verò dilucidè satis sunt explicatæ. Rogo Proceres Academiæ, vt Theses meas Ecclesiæ dent videndas: nam consensu Rectoris & Vicedecani publicè affixæ sunt.

DECIMVMTERTIVM.

KLebitius contumelijs irritauit Heshusium: Ergo Klebitius est author turbæ. Responsio.

Heydelbergæ quando baptizabantur pueri, solebant Ministris dono dari pecuniæ quædam. Extitit igitur hinc inter Parochum & Magistrum Gasparum contentio: Nam Gasparus conquerebatur, Parochum baptizare filios & liberos diuitum: solos verò pauperes sibi baptizandos relinqui. Tandem ordinata quædam fuit Pixis, in qua quisque collocaret pecuniam, vt æqualiter posteà ab ipsis diuideretur: Sed hinc factum est, vt alter alterum accusarit furti, quasi non fideliter repositæ fuerint pecuniæ. Ac tandem contigit, vbi Cunius Parochus solus plerosq; baptizauerat liberos: Gasparus vero ab Equo ad Asinum promotus, & ex Vrbano Suburbanus Diaconus creatus fuerat: inuidit Gasparus Cunio tam pinguem bolum, ac publicè docuit, non esse sumendos nummos circa Baptismum, quum ipse tamen inde integros Daleros sumpserit quandoque. Talem contentionem aluit & Heshusius: Nam ferre nolebat, vt ego quoque alternatim per septimanas cum Gasparulo pueros baptizarem: Ita enim liberis meis furari pultem voluit, quò Paralito suo, quem libenter gallinis vesci probè nouerat, maior eas emendi afflueret copia. Sic etiam labores quoscunque, ex quibus lucri aliquid remanaret, Diaconis Suburbanis destinauerat, reliquos sudores mihi iniunxerat. Misi intereà semel famulam meam ad Heshusium, ac scripta scheda ab eo petij, num scriptis meis respondere vellet: is famulæ meæ respondit: O jhr Kinder, euch erbarmet meyn. Quibus verbis totam meam domum compleuit lachrymis. Tum ego hac de causa nonnihil commotus etiam, Heshusio respondi, ipsum illa vt hypocritam locutũ, vt qui multoties liberis meis pultem furatus sit.

DECI-

HEshusius est ejectus Goslaria, & Rostochio, & est tantùm trigintaquatuor annos natus: Ergo non est author turbæ. Resp. 1. Contrarium alij inferunt: Iuuenis enim cùm sis, & cùm in duabus Ecclesijs anteà turbas excitaueris, verisimile esse putant, quòd etiam incendij Palatini author sis. 2. Nonne etiam Bremæ motus concitasti? 3. Nonne præterea hoc scripto tuo, toti Germaniæ bellum indixisti? 4. Quòd ego verò Ecclesiæ VVittenbergensi anteà quietè inseruierim, nonne Theologi VVittenbergenses satis testantur? 5. Quòd Heydelbergæ circa initium mei ministerij, duas lites de alba vesse & imaginibus, composuerim, nonne satis nosti? 6. Quòd quietè ibi docuerim, nonne carmina testantur Flinneri? 7. Quòd honestè Heydelbergæ vixerim, nonne literæ testantur Academiæ, post dimissionem mihi datæ? 8. Nonne inter vicinos & coniuges lites plurimas composui? 9. Nunquid vnquàm cum vicinis meis vel familia etiam mea contentiones habui? 10. Nunquid per totum ministerij mei tempus, mihi cum quoquam ciuium vnquam lis fuit, nisi cum litigiosa quadam muliere mercatrice argentea? 11. Nunquid à tempore dimissionis, vllam vnquam Ecclesiam turbaui? 12. ☞ Nonne, priusquàm Heydelberga discessi, Senatores Academiæ adij, & me turbatorem puniri petij, si quisquam me turbæ authorem conuincere posset? 13. ☞ Post meum iam discessum, nonne continuæ fuerunt Heydelbergæ turbæ, quis illarum quæso tum author fuit?

FVERVNT IGITVR VERI TOTIVS huius Turbæ Authores, qui sequuntur.

PRimò, Protestantes & Subscribentes Theologi, qui vtrique parma submiserunt. 2. Polypragmonici Superintendentes, qui foris suis Ecclesijs non contenti, Heydelbergensem quoque regere voluerunt. ☞ Hi ab Heshusio nominati sunt, Alzeanus, Neustadienus, VVislochianus, & VVormatiensis Pulzius. 3. M. Gasparus: Is redeuntem Heshusium, summum Cathedræ decus vocabat, & finitis inducijs eum publicè ad prælium hortatus est, ac præliantem postea Suem vineam Dñi vastantem appellabat. 4. Pantaleon, qui Heshusium contra me impulit, & post eius sanguinem petiuit. 5. Viti Primates, Scriba & Mercurius, qui nolebant mecum frangere Panem, eò quòd nollem cœlum claudere tot Sanctis Martyribus, pro Christi nomine in Anglia & Gallia combustis, & postea fregerunt Panem cum meo

succeſſore, qui ijſdem cœlum aperuit: ideoque meritò proclamati ſunt Hypocritæ. ☞ Hinc prouerbium hoc: Viri Primates etiam ſunt Hypocritæ Heydelbergæ. 6. ☞ Gratulantes & Crucifigentes, qui redeuntem Heshuſium exceperunt carmine gratulatorio, & poſteà contra ipſum clamarunt: Crucifige: Ruſticus & Gaſparus. 7. Eraſtus, qui diſſuaſit, ne maturè peterem conſilium à Senatu Academiæ. 8. Poſt habitam diſputationem Balduinus duas lectiones contra vocem ſacramenti inſtituit, quibus diſputatio mea ſuſpecta fuit reddita Studioſis.

CAVSAE DENEGATAE Reſtitutionis.

CVm poſt dimiſionem triſtior eſſem, meipſum vt conſolarer, carmen de præteriti certaminis cui ſu compoſui. Quod Matthiæ Collaboratori ſcholæ Nicrinæ deſcribendum dedi, nihil in homine hoc inuidiæ ac fraudis eſſe ſuſpicans: ſed illum hac in re Iudam proditorem alterum præter opinionem comperi. Carmen enim hoc ſibi vt fido ad deſcribendum datum, perfidus inimicis meis obtulit, qui id idem Cancellariç poſteà tradunt. Erant in illo carmine aduerſariorum meorum fraudes detectæ, & ideò carmine hoc plurimi etiam optimorum meorum amicorum offenſi erant: attamen animi mei perturbationi, & Matthiç proditori adſcribebant. Hinc prouerbium hoc eſt ortum: Heydelbergæ Matthias in locum Iudæ proditoris ſucceſsit. 2. Quum aduerſarios meos plurimùm furere viderem, ad tempus aliquod eorum furori cedere volui. Primò igitur Argentinam me contuli: ibique rem geſtam ex parte Flinnero expoſui, eiq; carmina videnda dedi, quæ cùm non ſatis ſibi viderentur polita, meliori forma compoſuit. 3. Carmina illa, adiectis meis nonnullis, Senatui Heydelbergenſi miſi, rem illi gratam me facere ſperans: verùm ipſi obtulerunt Electori. 4. Baſilienſes Theologi petebant ab Electore, vt mei errores mihi nominarentur. 5. Tigurini, Bremenſes, & Scafhuſiani, me in integrum petebant reſtitui. 6. Cùm redirem Heydelbergam, renouatur prælium: Cunius defendit partes Heshuſij, Pantaleon ſua defenſione contaminat partes Klebitij. Gaſparus non audebat iudicium ſuum interponere. (Er durfft ſeyne ſevve nicht auſtreyben.) Erat veritatis proditor maximus Gaſparus paruulus. 7. Cunium publicè mendacij accuſat Thuringus. 8. Turingum à me incitatum putat Cunius, ac ideò Magiſtratum reprehendit, quòd me capil-

lis

his ex vrbe trahi non fecerit. 6. Cùm hæc ita gererentur, Eraſſus ſuadet, vt ſupplex fiam Pantaleoni, & vt petam mihi condonari: nam ſi ipſum habeam amicum, reliquos facilè omnes mihi amicos fore. Quod vbi facere detrectaui, omnem reſtitutionis & gratiæ ſpem amiſi, ac ita me tandem migrare oportuit.

☞ Papiſtæ ſuæ religionis propugnatores afficiunt præmijs: Heshuſius autem à ſuis fratribus vt ſeditioſus accuſatur.

DECIMVM QVINTVM.

KLebitius eſt peſtis, & ambitioſus: Ergo Klebitius author turbæ eſt. Reſponſio: Non fui, nec vnquàm (Deo iuuante) ero peſtis Eccleſiæ: ſed peſtilenti tuæ Theologiæ fui, ſum, & dum viuam (deo dante) peſtis ero. Nonne tuæ ambitioni reſtiti? Qui quæſo, erant tituli tui? Placet audire?

1. ☞ Generalis Superintendens omnium Superintendentium. 2. Facultatis Theologiæ Decanus. 3. Lector Theologiæ Primarius. 4. Senator Academiæ Prudentiſsimus. 5. Conſiſtorij matrimonialis Iudex ſupremus. 6. Collegij miniſtorũ Præſidens ſupremus. 7. Examinator ordinandorum vnicus. 8. Rector ſtipendiariorum ſecundarius. 9. In ſuggeſſu nolens eſſe Vicarius, ſed volens eſſe Primarius. 10. In Altari Adminiſtrator primus. 11. Capituli Canonici cupiens eſſe Decanus.

Vnum addam: ☞ Cùm in Conſiſtorio matrimoniali eſſent duæ ſellæ, altera pro Electore, vel eius vicem ſuſtinente, altera pro Iudice: quam quæſo ſellam occupare ſtuduit Heshuſius? Iudicis ne? nequaquàm. Quam igitur? Electoris. Quare? Quia VVihelmus erat homo ambitioſus. Sit ambitioſus Klebitius, nonne tu illius eris frater? Heydelbergæ honeſtam habui conditionem, eaque optimè contentus fui, & vt illam ornarem vnicè ſtudui. Igitur iſtud omittere nolui: Cùm Heshuſius Arrio me conferre conaretur, crimen ambiti Paſtoratus mihi affingere voluit: dum tamen ego meam conditionem cum conditione Paſtoratus, ſi mihi licuiſſet etiam, non commutaſſem. Et propter illam conditionem me odio perſequebantur alij. nam mea conditio, priuſq; mihi decerneretur, erat petita à M. Stabio, M. Gaſparo & Greynero, qui omnes mihi illam inuidebant. Hi tres denique, cum Agricola, Paſtoratum ambierunt, & propterea certatim adulati ſunt Heshuſio: & cùm præter omnium expectationem, Paſtor crearetur Cunius, iratus Heshuſio Gaſparus, Tilemannum ſuem appellat, & Cunium virum bonum eſſe publicè negat, dolens ſeſe non electum Paſtorem. Vt verò Cunius ſe Gaſparo & alijs inſinuaret,

Klebitium damnat, & sic Gasparus quoque ipsum ad tempus vicissim amat, ac postea nebulones sese inuicem vocant.

☞ Ego Argumentum Heshusij inuertere optimo iure possem, hoc pacto:

Heshusius multa Arrij dogmata renouauit, & ambiuit Heydelbergæ in Suggestu primum locum, quem vbi obtinere non potuit, ac Flinnerum reuocari sensit, iratus Klebitio bellum indixit, & in patriam profectus est: Ergo Heshusius, &c. Quomodo solues hoc Heshusi?

Papistæ Hypocritis annumerant, qui festucam vident in oculis Proximi, trabem autem in suis oculis non animaduertunt.

FORMVLA INSTITVENDAE SYNODI, INTER Lutheranos & Zuinglianos.

Primò:

☞ Superattendentes Lutherani non sint simul Actores & Iudices.

Secundò:

☞ Superattendentes & Doctores Lutherani iaxentur à iuramento, quod præstiterunt in noua quatuor Euangelia. 1. In male intellectam Augustanam Confessionem. 2. In Apologiam. 3. In Articulos Smalcaldicos. 4. In Agendas Ecclesiasticas.

Tertiò:

☞ Solum Dei verbum sit Iudex.

Quartò:

☞ Tot numero sint Zuingliani, quot Lutherani, & habeant paria decisiua Suffragia.

Quintò:

☞ Detur vtrique parti saluus conductus.

Sextò:

☞ Aboleantur omnes illegitimæ condemnationes, quæ à tempore Lutheri ad hunc vsque diem, contra Tigurinos latæ sunt.

Septimò:

☞ Si componi partes non possint, transactio instituatur Patauica.

☞ Quod nobis volumus fieri, etiam alijs facere debemus.

QVA-

Digitized by Google

QVATVOR NOTATV DIGNISSIMA.

PRIMVM:

D. IACOBVS ANDREAE IN LIBELLO suo contra Missam, Articulo quarto, sic, vt sequitur, inquit:

☞ VVir essen den Leib Christi jm Himmel, vven man vonn des Herren Abentmael redet. Im Himmel vnd aus dem Himmel gibt vns Christus seyn Fleysch. VVelcher Priester sagt, das er Christi Leib jn seyne handt habe, der verleuchnet die Himmelfart Christi. Ergo falso asserit hic idem D. Iacobus Andreæ, in libro contra Latomum, sibi nihil commune esse cum sententia Zuinglij.

SECVNDVM:

IOANNES BRENTIVS IN LIB. IACOBI Andreæ de Synaxi, sic argumentatur:

☞ Die Pfaffen brechen das Brodt im drey stucken: Vnd die Pfaffen sagen, das Brodt sy Christi Leib: Ergo rectè dicunt Rustici, Das die Pfaffen den Leib Christi radebrechen.

☞ Papistæ sentiunt Christi Corpus hærere in Pane, donec veniat ad dentes.

☞ VVestphalus sensit Christi Corpus hærere in Pane, donec ad guttur descend a.

TERTIVM:

☞ Pastor Ecclesiæ VVittenbergensis inquit, Participationem Corporis Christi sola fide esse comprehensibilem: Ergo dissentit ab Heshusio, qui docet, ab impiis manducari carnem Christi.

☞ Papistæ contra Lutheranos tantùm Papisticum Magistratum inflammarunt: Heshusiani contra nos & Papisticum & Lutheranum Magistratum inflammare conantur.

QVARTVM.

☞ Anno 54. Hamburgi per Ioachimũ Leonem, sub titulo Lutheri excusa est Missa Germanica, in qua dicitur: In den Auentmael vvert vns Christi Fleysch tho einer spyse, vnd Christi Blod tho einen dranck, nicht des Lyues, sonder der Selen gegeuen. Ibidem sub Calicis porrectione inquit Minister: Das Blodt vnses Heeren Iesu Christi bevvare dyne Sele thom evvigen Leuende.

APPEN-

Digitized by Google

APPENDIX▸

ANNO SVPERIORI AEDITAE SVNT à me AEdes erraticæ, ab Antagoniſtis meis ædificatæ. Ratio autem conſilij mei hæc fuit: Antagoniſtæ publicarunt farraginem diſſidentium opinionũ, qua doctrinam Tigurinæ Eccleſiæ ſimpliciſsimam, ſuſpectam reddere nitebantur. Heshuſius nunc econtrà, Caluini, Oecolampadij, & Zuinglij eandem de Synaxi eſſe ſententiam, ſcribit. Aedes erraticæ per me collectæ, conuincunt, in nulla hæreſi ab initio ſeculi, plures fuiſſe diſſenſiones, quàm ſunt in illa, quam Heshuſiani defendunt. Cæterùm, meum conſilium non fuit Perſonas perſtringere, ſed ſaltem formas loquendi periculoſas reprehendere volui. Phraſis illa (In Pane) etiam à Caluino & Doctore Alberto cõcordiæ gratia aliquando vſurpata eſt, verùm alio ſenſu, quàm Heshuſiani illam vſurpant. Igitur Caluini & D. Alberti quoque mentionem feci, non quòd illos hæreticis annumerem, ſed quòd tales ipſorum phraſes cauſæ Chriſtianæ obeſſe demonſtrem. Nam & aduerſarij mei, ac ſocij etiam nonnulli non ſatis fideles, cùm impugnarem promiſcuam præpoſitionum vſurpationem, Caluini phraſin (In Pane) mihi obiecerunt.

Quidam ęgrè tulerunt, quòd plures ædes erraticas Lutheranis attribuerim, quàm Papiſtis: & verentur, ne inde Papiſtæ conuincere poſsint, verum eſſe quod Legati Pontificis Romani dicebant: Quot Capita, tot Opiniones. Atqui ego Romani Pontificis pedes oſculari non ſtatui, neque etiam Papæ Saxonici pedes oſculari decreui: Pedes Papæ Saxonici non minùs ſunt immundi, atq; pedes Papæ Romani.

☞ Legati Pontificis dicebant, Quot Doctores, tot Euangelia? Nonne quæſo, Pontificij quotannis quinquaginta duo legunt Euangelia? Nonne & Heshuſius in anno quinquaginta duo habet Euangelia. Apud quos quæſo eſt formula hæc iuramenti? (Iuuet me Deus, & ſancta eius Euangelia,) Nonne hanc iurandi phraſin Heydelbergæ approbauit Heshuſius? Cur igitur Pontificij obijciunt alijs multa Euangelia? Cur vos negaſtis, vos habere multa Euangelia? Iacobus Andreæ reprehendit publicè hæc fruſtula, & mauult ſecundum veteris Eccleſiæ morem, integrum Scripturæ librum explicari: is nunc hæreticus erit. Lutherus docuit, non niſi vnum eſſe Euangelium: is annumerabitur quoq; hæreticis ☞ Dolent Heshuſiani & iraſcuntur, Auguſtanam Confeſſio-

Digitized by Google

feſionem à Melanthone emendatam, & noſtræ confeſsionis doctrinæ non aduerſantem. Callidum tamen interim conſilium inuenerunt, vt eam videlicet Confeſsionem nobis proponant & opponant, quæ Cæſari Carolo Quinto, Anno ſupra Milleſimum trigeſimo Auguſtæ eſt exhibita. In illa enim dicitur: Sub Speciebus Panis & Vini. Cùm igitur vſque adeò callidi ſint Heshuſiani, ignoſcant mihi, vt vnum hîc dicam myſterium:

☞ Heshuſius Heydelbergæ publicè coram Eccleſia, & priuatim quoque impugnauit hanc phraſin (Sub Specie Panis) Papiſticam eam penitus eſſe acclamans. Simili modo & Apologiam in articulo Cœnæ docuit eſſe Papiſticam: nam Canonem Græcum Tranſubſtantiationem aſſerere, aliquoties confeſſus eſt.

Quid videtur vobis? Quare Heshuſiani igitur iam noſtræ doctrinæ volunt opponere doctrinam ac phraſin Papiſticam? Quia dum falſum ſuum de Synaxi dogma, nullis ſolidis Argumentis defendere valeant, ſeuquibus defendant, nulla habeant, à Papiſtis commenti huius primis authoribus, cómentitia etiam argumenta (cùm & hi vera non habeant) quibus nos oppugnent, vel oppugnantibus reſiſtant, petunt. Papiſtis hactenus non erubuerunt emendatam Confeſsionem offerre & opponere: nobis non volunt permittere, vt Confeſsione emendata fruamur.

Iſt der Bapſt zu Rom nicht erlicher, den dieſer Bapſt?

☞ Heshuſius nunc multis Argumentis vult conuincere, Auguſtanam Confeſsionem aduerſari doctrinæ Eccleſiæ Tigurinæ: Quare igitur anteà eam multoties vocauit Cothurnum? Nonne Cothurnus eſt calceus vtrique pedi aptus? Ergo & noſtro aptus erit. Vultis ſcire aliud Myſterium? Audite quæſo?

☞ Heshuſius Heydelbergæ Anno ſupra Milleſimum quinquageſimo nono, die quarto menſis Auguſti, horæ ſecunda à meridie, in ædibus Comitis Eberhardi ab Erpach, coram plurimis damnauit phreſin & propoſitionem hanc: Panis eſt eſſentiale Corpus Chriſti. Quid autem poſteà egit? Cùm poſteà Bremæ creatus eſſet Epiſcopus, in gratiam Bremenſium ſcripſit librum pro defenſione huius, quam anteà damnarat propoſitionis. Quid igitur hinc quàm rectiſsimè concludi poterit? Mendaciſsimum, impudentiſsimum, maximè temerarium, & quauis denique arundine, quæ omni vento agitatur, leuiorem hominem eſſe Magdeburgenſis Eccleſiæ Epiſcopum Heshuſium.

☞ Iraſcuntur Heshuſiani, quando Papiſtæ clamant, Meſs, Meſs. Atqui Heshuſiani ſemper habent in ore, Confeſs, Confeſs.

☞ Quatuor veteres Euangeliſtæ apud hos amplius ferè nihil habent ponderis: Quicquid producunt Argumentorum, aut ex Confeſsione Auguſtana, aut ex Apologia, aut ex Articulis Smalcaldicis, aut ex Lutheri Catecheſi depromunt. Atque Staphilus quædam Topica argumenta non malè notauit.

☞ Ipſi Papiſtæ profectò Heshuſianis ſunt ſaniores: illi enim, & piè quidem, Symbolum Nicenum, Athanaſij, atque Ambroſij vrgent: hi verò erraticum Confeſs ſemper habent in ore.

Inter Papiſticum Meſs, & Heshuſianum Confeſs, quid quæſo eſt differentiæ? Quid intereſt inter Idolum Bel, & Idolum Bethel? Nam ſi vitulus Confeſs eſt pius, non impius erit & vitulus Meſs. Quare? Quia Heshuſius Heydelbergæ, & Phraſin & Sententiam Auguſtanæ Confeſsionis iam poſtremò emendatæ docuit eſſe Papiſticam.

☞ Decanus Capituli cuiuſdam magni N. voluit ab officio ſuo, Paſtoratus ſcilicet, verum quendam Euangelij Doctorem amouere, dum tamen nullam aliam amouendi haberet occaſionem, niſi quòd ſecundum ipſius filij Dei inſtitutionem, Ouibus ſibi creditis Synaxin adminiſtrare conaretur: atque hac vnica de cauſa Sacramentarium ipſum traducit: Quo teſtatur & ipſius Synaxeos autorem ac inſtitutorem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum fuiſſe Sacramentarium, qui non rectè Synaxin inſtituerit, prauumq; eam exhibendi Apoſtolis nobisq; modum reliquerit. Cuius, tanquàm hæretici cuiuſdam, cùm & aliorum myſteriorum doctrinam, tum nobiliſsimi huis inſtitutionem pernicioſè Pontifex olim Romanus, hoſtis Chriſtianæ doctrinæ ter Maximus, ipſe Antichriſtus, ſua neſcio qua, ſuorumque ſub ſe militantium temeritate execranda, inuertit: Sed quo conſilio hoc fecerit, ac hodie adhuc factum ſui ſucceſſores tam pertinaciter ac vi, dum rationibus nequeant, defendant, ſuperiùs dixi, ac rem qui bene perpendit, dolum facilè intelligit. ☞ Idem dictus hic Decanus Paſtorem quendam, qui conſecratam hoſtiam cum ſale benedicto Vaccis ægrotis contra incantationem porrigit, in officio tolerat. Vnde hæc tanta cæcitas? Ex Diabolo: & doctrina Heshuſianorum confirmatur.

☞ Theologi quidam, dum pallijs Principum ſunt tecti, magna eôtra Papam fulmina proferunt, cùm verò Principes pallium ſuum ſubtrahunt, relicto grege latebras quærunt, ac poſtea alba veſte iterum in medium prodeunt. Et quidem iam ita eſt conſtitutum, vt qui alba veſte Synaxin polluere volunt, pingues habeant

Paro-

Parochias: qui verò id recusant, habentur Gryllirici. Et quidam N. nõ ita diu per album pallium pinguem Pastoratum obtinens, alios hoc induere recusantes expulit. Idem pium Ioannis Anastasij, istud Bacchanale indusium reprehendentis, scriptum suis literis contaminare non erubuit. Papistæ etiam hîc saniores, qui cum veste linea & pannum sericum retinent. Atq; bonus ille vir suis literis studuit ex loco illo me pellere, vbi me Papistæ ferre potuerunt hactenus. ☞ Qui hodie non vult condemnare Lutheranos omnes, non potest frangere panem cum Papistis: Qui item Sathanæ tradere recusat Zuinglianos, nõ potest frangere panem cum Lutheranis. Cùm Adrianus Londini nollet deuouere Satanæ Mennonistas, non est illi concessum frangere panem cũ Zuinglianis. Et qui hodie solis Mennonistis cœlum aperire non vult, & reliquos omnes excludere, cum ipsis etiam frangere panem non potest. Oremus igitur Filium Dei, vt veram de hoc concordiæ symbolo doctrinam emergere sinat. ☞ Iacobus Andreæ, cùm Missam oppugnat, doctrinam meam probat: Dan er setz den leib Christi sehr hoch jm Himmel, art. 4. contra Missam. Dum autem Brentij vbiquitatem palliare studet, so bringt er Christi leib bis vnder das broth. ☞ Vt dicam, quod res est, nolunt suam insanam contra Dei verbum stultitiam plebi innotescere, ideoq; mihi, q. Aedes erraticas publicaueri im, iraſcuntur. Cæterùm Retractationis loco istud addam: Circa Delphicam cataractem, non in lignea, sed lapidea domo Sacrificuli habent corpus Christi. Dauentriæ, jn den Vmbgantck: Co'oniæ, jn der Godes dracht. Suollæ non est planè ferrea, sed lapidea ferro compacta. Quos duriùs tractaui, vt ignoscerent petij. Erasmus Oecolampadio pietatem ac trium linguarũ peritiam tribuit. Iacobus Andreæ publicè docuit Goppingæ, Oecolampadium non doctum modò, sed & valdè pium fuisse Theologum. Atque inter Zuinglium & Oecolampadium, non summam modò amicitiam, sed sanctam quoque in hac doctrina fuisse concordiam, quis ignorat? Quare igitur Zuinglium vultis excludere cœlo? Melanthon diu impugnauit Zuinglij Significat, tandem tamen conuictus inquit: Panis est signum corporis Christi, quod non est vbique. Bucerus etiam voluit dogma Zuinglij deserere, tandem circa obitum suum, dogma Zuinglij vt Christianum propugnauit.

VVarheyt bleybt VVarheyt, Gottes vvordt bleibt in Evvigkeyt, VVer es ander allen Sacramentschenderen leyt,. Sicuti scriptum est in Porta Bremensi.

ALTERA MEMORABILIVM QVORVNDAM APPENDIX.

PRIMO.

☞ DIsputatum est iam diu, quomodo consecrentur Panes: & interim pauci consecrati sunt homines.

☞ Anxiè est inquisitum, Quantum inter Panem consecratum & non consecratum sit differentiæ: interim neglectum est, quantum nos vitæ pietate à prophanis hominibus differamus.

☞ Curiosè quæsitum est, Quando panis incipiat esse sacer, an vel ante sumptionem, vel post, vel an in medio sumptionis: ac interim ante & post sumptionem plurimi manserunt prophani.

☞ Quàm diu Panis maneat Sacramentum, plurimùm litigatum est: Quàm diu Christus maneat in nobis neglectum est.

☞ Quidam panem Eucharistiæ bis consecrant: *Seipsos autem* vix semel consecrant.

☞ An maneat, vel mutetur natura panis, dum consecratur, multis verbis decertatum est: Intereà pauci boni sunt in meliores commutati.

☞ An Azymus, vel Fermentatus hic Panis esse debeat, dimicatum est: interim pauci vetus fermentum expurgantes, in azymis veritatis & synceritatis ambularunt.

☞ Panes Eucharistiæ superstitiosè numerati sunt: & interim pauci admodum numero Pij semper reperti sunt.

Omnes has Consecrationis Phantasias, Heshusij mala confirmat translatio, qua locum Apostoli Pauli primæ ad Corinthios decimi penitus obscurat

☞ Christus non ideò instituit Synaxin, vt panem consecraret, sed vt hominem, cuius amore quicquid vnquam fecerit, fecit, consecraret. Vox consecrationis in nullis est Scripturis de Synaxi editis.

SECVN-

SECVNDO.
EX CONFESSIONE DVCIS VVIRTEBERGENSIS.

☞ VErba hæc institutionis (Hoc est corpus meum,) exponit eodem modo, quo hæc Ezechielis verba (Ista est Hierusalem) vbi loquitur de vrbe in latere descripta.

Ibidem negat, Deum absolutam suam omnipotentiam exercere in Synaxi.

TERTIO.

☞ Quando bellum indicunt Papistis, reijciunt Argumentum sumptum ab omnipotentia Dei, & re ipsa probant Significat: Sed quando nobiscum congrediuntur, Argumentum à Dei omnipotentia ductum, & To rhiton, contra Significat, cum Papistis sine scripturis nobis opponunt.

Et sicuti ex Apologia Confessionis Augustanæ patet, etiam Ecclesiæ Romanæ authoritatem, & Canonem Græcum nobis objiciunt. Quando verò bellum gerunt contra Papistas, Ecclesiæ Romanæ authoritatem, & Canonem Græcum repudiant. Me non falsa recensere, testatur Staphilus.

QVARTO,
CONTRA STAPHILVM.

☞ Fatetur D. Iacobus Andreæ, inquisitionem de modo præsentiæ corporis Christi non esse inutilem.

QVINTO,
CONTRA EVNDEM.

☞ Inquit idem Iacobus Andreæ, Opinionem illorum, qui putant paruum Christi corpusculum latere In pane vel Sub pane, non esse fundatam in Sacris literis.

SEXTO.

☞ Quòd pauciores Papistæ conuertantur, inde etiam est, quòd Lutherani superbi nimis & ingrati, non ingenuè fateantur, quòd quicquid habent boni, à Papistis acceperint.

☞ Papistæ Decalogum integrum proponunt Pueris: Lutherani verò Decalogum Dei mutilatum Iuuentuti proponunt. Videat Lector Græcum Alphabetum, iam recens Coloniæ excusum.

FINIS.

Digitized by Google

Obſeruationes duæ obiter hîc adiectæ.

☞ Papiſtæ, quando Laicis explicant myſteria ſacrarum veſtium, multa fabricant ſignificat : & Heshuſiani in poſtilla Spangenbergii plurima effingunt allegorica Significat : igitur mirum eſt, quòd contra vnicum Sacramentale Significat, tot ſcripturis munitum, clamitent.

☞ Duæ hæ Propoſitiones : Panis eſt ſignum corporis Chriſti: &, Panis ſignificat corpus Chriſti, ſunt æquipollentes. Priorem propoſitionem approbat Heshuſius : ergo non impugnat poſteriorem.

ERRATA QVAEDAM, ABSENTE dum imprimeretur Autore, in hoc Libello à Typographo commiſſa.

C 1. pro prouerbijs, lege aduerbijs.
E 1. Cranueri, lege Cramneri.
E 2. Permanſurum, lege permanſuram.
E vlt. palatui, lege palato.
G 1. Turingos, lege Tigurinos.
Ibidem : Electorem non tribuere, lege Electorem hoc tribuere.
G 3. Melior erat cauſa Lutheri, quàm Caroloſtadij : lege Melior erat cauſa Caroloſtadij, q̃ Lutheri. In Certamine ſcilicet de Imaginibus & Synaxi.
H 1. Oliuiario, lege Oliuiano.
Ibidem: Nunquid ſcripta, lege Nonne ſcripta.
H 2. Bremenſes, lege Bernenſes.
Ibidem : V Vittenbergenſes, lege V Virtenbergenſes.

Bayerische Staatsbibliothek München
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google